Theodore Besterman

P. S.

121

PETRI COSTALII PEGMA,

Cum narrationibus philoſophicis.



LVGDVNI,

Apud Matthiam Bonhomme.

1555

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Research Library, The Getty Research Institute

http://www.archive.org/details/petricostaliipeg00cous

Extrait du priuilege.

PAR priuilege expres du Roy noſtre Sire en date du ſeptiéme de Mars l'an mil cinq cens cinquante trois, qui a eſté publié & enregiſtré en la Cour de la Seneſchaucée de Lyon, il a eſté permis à Macé Bonhomme Libraire & Imprimeur de Lyon, d'imprimer, & faire imprimer de telz characteres que bon luy ſemblera, mettre en vente, & debiter le preſent liure, intitulé, P. Coſtalij Pegma, cum narrationibus philoſophicis. auquel liure ledit Bonhomme ſe ſeroit mis en frais & deſpence pour faire tailler figures & hiſtoires reſpondantes à la varieté des epigrammes y compris: & auſsi l'auroit fait traduire es langues vulgaires. Parquoy ſont faites defenſes à tous libraires & imprimeurs de ne faire pourtraire & tailler leſdictes hiſtoires, ny imprimer ledict liure en forme & maniere, que ce ſoit, ou de ceux qui auroyent eſté contrefaictz ou imprimez allieurs, n'en apporter ny expoſer en vente es paiſ, & terres de ce Royaume, durant le temps & terme de ſix ans, commenceans du iour que l'impreſsion du preſent liure ſera paracheuée, auec groſſes peines contre ceux qui contreuiendront directement, ou indirectement au-dit

Priuilege. Par-lequel eſt permis d'inſerer pour toutes defenſes & ſignifications le ſommaire du-dit Priuilege, au commencement, ou ſur la fin du preſent liure, ainſi que plus amplement eſt contenu au Priuilege ſuſdit.

Ledit liure a eſté acheué d'imprimer le dixiéme iour du moys de Ianuier, l'an mil cinq cens cinquante cinq.

PETRVS COSTALIVS
ANTONIO COSTALIO
FRATRI
S. D.

SOLENT noſtri, qui ſub aliorum nomine libros ſuos in manus hominum peruenire volunt, illis conſecrare, dedicare, nũcupare. vtar enim eorũ verbis. quòd opinor exiſtiment ſe aut κέρας ἀμαλθείας *dare, aut* κηρίον *aliquod fundere, aut forte vineam Ariſtobuli in templo Iouis conſecrare. Ego verò quo te mi frater modo hac in re affari poſſim, nõ planè ſcio. Quia enim mihi ex apertiſſimis beneuolentiæ tuæ ſignis certò perſpectum eſt, tibi in hoc genere officium placere meũ, abſurdum eſt me id mihi domeſtico teſtimonio ſumere, vt ei qui nobis tantum gratiæ & iudicij largiatur, aliquid videar donare velle. Eſt enim hominis impudentis & ingrati, id alteri beneficij loco ponere, in quo ab eo non vulgari ſtu-*

dio & officio cumuletur. Quæ eſt igitur illa in dedicandis libris tam inſolens prædicatio? nihílne dant, qui in eo officij genere alterius ora vultúmque contuētur? maximè ſanè, apud eos qui ſe plurimum dignitatis & honoris ijs deferre putāt, à quibus quaſi patroni ſunt electi. Malo verò iſta Perſium legere & ridere, quam ijs addici, qui in nomine ſuo tantum authoritatis & dignationis eſſe putant. At tu mihi non es in hoc albo: cuius amicitiam & coniunctionem omnibus clientelis antepono libenter. Quia igitur aut nihil eſt, aut opinor valde modicum, quod à nobis ad te proficiſcitur, non vtar eorum verbis, quibus penè maieſtas populi Romani & ſplēdor VRBIS AETERNAE *continetur: quaſi eos immortalitate donari putem ad quos ſcripta noſtra miſerimus. id enim neque in Cymbalo illo mundi, ſic enim Tiberius Cæſar Apionem grammaticum vocabat, veterum moderatio ferre potuit: ſed feres æquo animo voluntatem meam ad præſidium neceſſitudinis noſtræ applicari, vt ea ſtudia quæ nobis pueris fuerunt periucunda, etiam grandioribus ad animi ægritudines ſalutaria eſſe poſſint. Vale. Lugduni Nonis Ianuarijs,* 1555.

PEGMA,

CVM NARRATIONIBVS PHILOSOPHICIS.

In ſimulachrum Iuſtitiæ.

Ex Chryſippo.



Quæ Dea, quæ bino geminos fouet vbere fœtus,
Et pia ſollicitæ munera matris obit?
Iuſtitia eſt penſo chara perfuncta parentis:
Dextra fouet bellum mãma, ſiniſtra togã.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

QVAE duæ res in liberis populis, iisque ciuitatibus, quæ aliquando rerum potitæ ſunt, plurimum ſemper valuerunt, eas certè dignitate ſua Iuſtitia vna eſt complexa: belliſsiméque illas vno genere Chryſippus colligauit, quarum conſenſus prope eſt ſempiternus. Vt enim parua ſunt arma foris, niſi ſit conſilium domi: ita neque probè Reſpublica in officio eſſe poteſt, niſi militari diſciplina ſeſe ipſa tueatur · quarum rerum ſplendor præſtantiſsimus vmbraculis iuſtitiæ continetur. Iam verò & Iuſtinianus ſacratiſsimus Imperator non aliis præſidiis maieſtatem populi Romani retineri poſſe iudicauit, quàm rerum vrbanarum & bellicarum diſciplina: quarum vnam ſi à gubernaculis ciuitatum ſemoueas, diutius imperium ſtare non poſsit. Itaque Romani cùm armis Romuli, firmiſsimis initiis florentem Remp. accepiſſent, Numam ex Sabinis euocarunt: vt eo res gerente ad militarem gloriam laudes togatæ accederent. Nam & eam Remp. quam primùm auſpiciis, deinde verò bellica vi Romulus ſtatuiſſet, non exiſtimârunt ij, quos maiorum gentium patres appellarat, diutius teneri poſſe, niſi & legibus & vrbanarum rerum adminiſtratione firmaretur. Ex quo & à multis Lycurgus ſummus apud Spartã legislator, in inuidiam vocatur, quòd in legibus iubendis magis belli quàm pacis rationem habuiſſet. Ac profectò veteribus illis quærẽdũ viſum eſt vtra harũ rerũ alteri præſtãtia antecederet. In quo diffi-

difficilis forſan fuerit rerum tantarũ comparatio. Nam cùm ea quæ & foris & domi fiunt, conſilio æquabiliter gerantur, bonum certè ſenatorem & ciuem imperatori non concedere aptè quis exiſtimauerit. Si verò ad eum ſplendorem cogitatione deducitur, qui in rerum geſtarum magnitudine ineſt maximus, mea quidem ſententia difficilè factu fuerit, imperatorem togatis hominibus non anteponere. Quis enim non videt ex rerum bellicarum peritia, maiora quàm ex domeſtica temperatione adiumenta ciuitatibus omnibus eſſe inuecta? neque enim tantùm priuata Demoſthenis eloquentia attulit, vt Philippum ſtatum Atheniẽſium non mediocriter labefactantẽ, potuetit coërcere. quod tamen memoria patrum in potentioribus inimicis Miltiadis & Themiſtoclis virtus perfecerat. Neq; etiã tantùm in Rep. Romana Senatus conſilia valuerunt, vt Cæſarem regium principatum affectantem aris & focis prohiberent. Vtcunque verò ſe res habeat, facilis æſtimantibus coniectura eſt, vtranque diſciplinam in rebus gerendis plurimùm ſemper ponderis habuiſſe. Nam & Pyrrhus, qui multos annos de imperio cum Romanis dimicauit, tantùm conſilio & eloquẽtię Cyneæ legati ſui tribuit, vt diceret plura eloquentia illius quàm armis ſuis, ſe oppida domuiſſe. quod genus vrbanæ virtuti aſcribitur. Ornamenta verò vtriuſque rei in tutela Iuſtitiæ iacent. Quẽ enim cum laude populo præfuiſſe dicas, niſi aliquos qui in vrbe, & caſtris ius dicant, conſtituat. Et Scipio quidem Africanus cùm ſummo reipu.

tempore Imperator cum exercitu à Senatu eſſet appellatus,non prius de hoſte armis prouocando conſilium cepit,quàm in eos iure & legibus cõſtituiſſet, qui aliquid tetri admiſiſſent, & meretricũ greges reliquaque omnia, quæ ad animos hominum effœminandos valent, longè à caſtris amandaſſet. Et quanquam vetus fuerit multorum ſententia,Inter arma,leges & iuſtitiæ vniuerſæ ſeminaria conquieſcere,atque vbi intonuit claſsicum, præſtantiſsima illa pacis & togæ ſtudia de manibus excuti:illud tamen eſt reliquum militiæ vincula in iuſtitia ſita eſſe.Quid enim ſi ſtationem miles deſerat,aut contra edictum Imperatoris manus cum hoſte cõferat, neque ex lege militari ad pœnam experi poſsit, quicquámne tibi ab eiuſmodi exercitu fortiter aut præclarè geri poſſe videatur? Iuſtitia igitur vtrunque tẽpus & belli,& pacis moderatur.

Aliud in Iuſtitiam, ex Nigidio.
In ſordidè iudicantes.



Vah qui inculcatis audes ſperare querelis
Iuſtitiam ætherei linquere regna poli.
Illi ſignifero ſedes aſcribitur orbi,
Et clari ante oculos Arctophylacis abit:
Quâ locus ad libram & radiantis membra leonis
Finditur, & duplici diuidit aſtra ſinu.
Huius noſtrorum ſordes & ſtupra deorum
Mouerunt iuſtâ debita ſceptra manu.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

NIGIDIVS figulus & doctrinæ ſtudiis, & administranda Rep. facilè princeps, Iuſtitiam in Zodiaco inter libram & leonē ſedere exiſtimauit. Quod etſi minus forſan à magiſtris ſuis, aut etiam aſtrologorum ſermonibus didiciſſet, hoc tamen illi in mentem veniſſe in ſuſpicionem venio, quòd agentes in rebus, iiq; qui iuriſdictioni præſunt, vel omnium maximè ad quodlibet iniuſtitiæ genus conſtiterunt. Quod temporibus illis accidiſſe minimè forſan ſit mirandum, quibus nōdum veritatis Euangelicæ dies illuxerat. Nunc verò ætate noſtra cui tantum beneficium fata non inuiderūt, luctuoſum ſanè eſt ſordibus eorum, quos Moſes in Pentateucho ſuo deos appellat, tantùm Iuſtitiæ patrimonium direptum eſſe. Quòd ſi eam iuſtitiam maiores noſtri appellauerunt, quæ ius ſuum cuique, hoc eſt iudicanti tribuat, aptè profectò noſtros homines acerrimos iuſtitiæ propugnatores voces. Quid enim & opis & inſtrumenti ad hominum negotia adferunt, qui priuatis cōmodis ſolùm incitati in præclariſsimis illis muneribus ita verſantur, vt magis ſuum quàm litigantium negotium agere dicas? Ac ſi volumus temporum noſtrorum hiſtoriam, & ea quæ teſtata antiquitate patres nobis prodiderunt, diſpicere, quē quæſo à tot ſæculis inter noſtros homines reperias, qui nulla mercede in illis ordinibus ſederit? quis propria quadam animi incitatione vnquam iudicauit? quis eorum precario ius dixit? Quæ laus etſi iis qui ſe ad Dei præſcriptū nutumque cōuert

ıerterunt, minimè ſit neceſſaria, dolendum eſt tamen inter Chriſtianos homines, quorum propriũ ſt omni officiorum genere præſtare, qui hac virute excelluerit, repertum eſſe neminem. Quòd ſi liquis tam religioſus morum magiſter eſſe velit, t hanc animi elationem, cæteraſque alias virtues, quæ proximè ad perfecti ſpeciem accedunt, n vulgo deſyderet, nimiæ ſeueritatis teneri merió ſit iudicandus. Qui autem in ciuitate principaum gerunt, & iis artibus quæ libero homine dignæ ſunt, ornati omnibus, ſoli de dignitate & honeſto, ſoli de expetendis & fugiendis verba faciunt, magnopere certè ſint reprehendendi, niſi ex Platonis ſententia, obliti commodorum ſuorum ad Rempublicam acceſſerint. Ac ſi per illos licet noſtra cum externis conferre, videmus eos quos us veteris hoſpitij ſocietate nobis deuinxit, ſubatis formulis de cauſis priuatis & publicis ſine mercede iudicare. Quid enim ad iudiciorum dignitatem ſplendidius, quid ad litigantium leuationem aptius eſſe poſsit, quàm ea liberaliter conferre, à quibus ſordes & præmia non ſolum ſacra, ſed & profana monimenta ſuſtulerunt? Noſtri autem maximis nominibus ſibi eos, quorum res agitur, deuinctiſsimos eſſe arbitrantur, ſi magna pecunia ſententiam dixerint? Nam præter id quòd pecuniam ingentem & ſæpiſsimè extra ordinem ſportularum nomine imperant, plurimum tamen ſibi gratiæ deberi opinantur, ſi quæſtionem totã, ſicut eorũ fides & officij ratio poſtulabat, ad exitum perduxerint. At enim quis apud eum iuſtitiæ,

quis

quis æquabilitati locus eſſe poteſt, qui in obeundis magiſtratibus ſequitur pecuniam ducem: cui tamen cum iuſtitia æterna eſt diſſociatio? Neque verò tantùm apud omnes bonos inueterata cōſuetudo momenti habet, vt ea homines noſtros inuidia tantæ cupiditatis & auaritiæ leuare poſsit: quæ ſi vnquam ad ſceleris excuſationem valuit, hoc opinor minimè hac in cauſa cōcedēdū erit: in qua qui verſantur, ab omni pecuniæ appetitione alieni eſſe debent. Sed quia admiratione diuitiarum illud immortalitate dignum iuſtitiæ decus apud homines in ſumma neglectione iacet, non eſt mirandum, ſi Aſtræa illa Dea hominibus relictis ad ſuperos conuolarit.

Senatus Heliogabali.

In iudices γυναικοκρατουμένους, & vxorio imperio viuentes.



Qui decreta vides muliebribus edita iuſsis,
Totáque fœmineos per fora ſtare greges,
Hæc Phœnix quondam poſuit monimenta ſacerdos,
Inter conſcriptos addita ſcorta patres.

ALIVD.

Qui regis imperio populos ſanctúmque ſenatum,
Et tibi ſunt dandæ credita iura fabæ:
Quíque tenes Lato prætoria ciuica Clauo,
Et quaſi te populus conſpicit in tripode,
Legibus vxoris viuis, thalamóque iugali
Non licet ex voto dicere iura tibi.
Dignus qui molli ſedeas ſub Amazone Præſes,
Déſque Suburranis menſtrua iura focis.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

AMAZONAS mulieres extremo oriente ſitas, animi magnitudo & imperandi gloria toto orbe celebrauit. Nam & priuatim & publicè tanta cum laude imperarunt, vt finitimos populos bello domuerint, & muliebribus decretis viuere coëgerint: cúmque rebus fortiter geſtis ſibi otium peperiſſent, tantum animi elatione proceſſerunt, vt præſtantiſsimis Alexandri Magni ſpoliis & triumphis minimè terrerentur. Cuius reipublicæ maieſtatem & imaginem cùm non longinquitas temporis tantum, ſed populorum omnium conſenſio ſummo ſtudio à ſe repuliſſet, inuentus eſt Heliogabalus imperator, qui largitione Symiamiræ matris ad imperium productus memor tanti officij, illi in ſenatum ingrediendi, & in Conſulum ſubſelliis ſedendi poteſtatem fecit: & vt ea ſenatuſconſultis & authoritatibus perſcribendis teſtis adhiberetur, effecit. Ha-
30 buit verò (vt inquit Ælius Lampridius) in col-

le

le Quirinali ſenatulum, ideſt, mulierum Senatum, »
in quo antea fuerat conuentus matronalis: vbi ri- »
dicula quædam Senatuſconſulta facta ſunt de le- »
gibus matronalibus, quo quæque veſtitu incede- »
rent quæ ad cuius oſculum venirent, quę pilento, »
quæ equo ſaginario, quæ carpento mulari, quę bo »
um, quæ ſella vterentur. Quod exemplum cùm da »
mnato authore ſuo, cōtra maieſtatem populi Ro- »
mani eſſe videretur, factū eſt S. C. quo in poſterū
mulieres ab ingreſſu curię remotæ ſunt: hoc addito, vt eius caput inferis ſacrum eſſet, qui hoc in rē publicam inducere conaretur. Cuius decreti authoritas etſi in poſteris ipſis longa annorum ſerie videatur conſtitiſſe, in nonnullis tamen locis tam effœminati imperij quædam ſeminaria, & ea certè non obſcura reſtiterunt. Nā vt Ariſtoteles grauis author in Politicis definit, tum demum reipu »
blicæ gubernacula penes mulieres videntur eſſe, »
cùm ij qui legibus vetandis & iubendis præſunt, »
vxoris principatu & dominatione tenētur. Quod »
etſi minimè ad eorū amplitudinem qui in tali degunt imperio, aut ad totius reipublicæ dignitatē ſit conſentaneum, muliebribus illis auſpiciis magiſtratus geri, mirandum eſt tamen nullum ex tā impura ſeruitute ſeſe in libertatem dignitatis vindicare velle. At enim Romani fœminas quas à publicis negotiis lege lata excluſerant, in perpetua tutela (vt Cicero author eſt) propter conſilij infirmitatem eſſe voluerunt: vt eas non ſolùm a rebus publicè gerendis, ſed à priuatis rei domeſticæ adminiſtrationibus & contractibus ſummouerent.

„ Neq; enim par eſt vt quam ſummus Deus hominū
„ ſtudiis obſequentiſsimā eſſe iuſsit, ea in homines
„ principatū gerat. Quo in genere moleſtè fero ab
„ exterisnoſtros inuadi ſolere, vt ij omniū conſenſu nationū γυναικοκρατούμενοι vocentur. Hoc enim & maieſtatem imperij notabili iactura minuit, & mea ſententia muliebrem dominatum in rempublicam inducit. Nam quid magnificum, quid centumuiralibus publicisque iudiciis dignum iudices exequentur, qui domi imperare non poſſunt? Deridenda ſanè arrogantia, in Liburnicis & duorum ſcalmorum nauigiis regendis ſe parum ſcientem confiteri, quinqueremes autem gubernare didiciſſe. Nam qui in familia lege agere non poteſt, qua tandem ratione de maximis controuerſiis in Senatu iudicabit? & quomodo iudiciorum maieſtatem togatus tuebitur, qui in vxoris imperio & opinatione confidit? Si quid tibi cum eiuſmodi hominibus rei eſt, facile eos ad æquitatem adduxeris: boni enim ſunt: ſed cum nocte interpoſita ad vxorem retulerint, offendes omnia muliebribus conſiliis perturbata. Quod ne cui obſcurum eſſe poſſet, eorum beneficio curáque perfectum eſt, vt id & præſcripta conſuetudine & quaſi ciuitatis lege conſignaretur. Quam enim expectationem cōſeruandæ dignitatis & memoriæ ſuæ reliqui populi in filiis collocârunt, id noſtris hominibus in filiabus poſitum eſt: apud quos egregium & immortalitate dignū pietatis κατώρθωμα iudicatur ſi aut exhęredibus factis, aut modico honoris cauſa

ſub

ſubleuatis filiis ſuis, reliquæ opes omnes in filias generosq́; immenſa & inofficioſa donatione profundantur. Credo quòd id vxoribus placere certò ſciant, ad quarum ductum & voluntatem omnino cogitationes ſuas applicauerunt. Eam quantitatem filiabus doti ſcribere, habent virtutis & officij loco, qua perſoluta filiis ad ſe tuendum nihil ſuppereſt adiumenti. Qui ſi præclariſsimis literarum ſtudiis & rerum maximarum cognitione mirabiliter incenſi, ſui rationem haberi velint, vix temere proficiunt quicquam: & id opinor rectè, apud eos, qui magis filiarum pompa & luxu, quàm filiorum eruditione & doctrina delectantur.

Ad Cupreſſum.

In aulicos & admiſsionales.



Ite procul futiles aliorum in prædia blattæ:
Noſter adulantes neſcit amare decor.

ALIVD.

Aſpice non domitæ faſtigia ſumma cupreſſi,
Membráque diffuſis luxuriata comis.
Multus odoratis folijs innatus amaror
Fata dedit vitæ tam diuturna ſuæ:
Nec furtiua timet malè paſtæ prælia blattæ,
Atque venenatis dentibus eſſe cibum.
Heu quibus auſpicijs creſcentis gloria regni
Hoſtili quateret barbara ſigna manu,
Si ſibi qui cernunt, in publica commoda talpæ,
Patritiæ facerent atria miſſa domus.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

INTER illa quæ relatu nō indigna de Cupreſſo Dioſcorides memoriæ prodidit, nihil opinor magnificentius dici poteſt, quàm quòd ea non tā tum ſe à blattis & tineis ægrimonia tuetur ſua: verumetiam ſi diſſecta quibuſcũque rebus admiſceatur, eiuſmodi animantium iniuriam longiſsimè arcet & propulſat. Quæ eadem ad eos qui præſtantes opibus & imperij gloria, terrarum orbem ſuo nutu continent, accommodari poteſt oratio. Vt enim amaritudo illa ad Cupreſsi perpetuitatē & magnitudinem ſummè ſuffragari putata eſt: ita profectò ſeueritas maieſtatis plurimum ad principum regúmque gloriam ſit adiunctura. Nam vt omittam multas Reſpublicas, quòd in illis adulatoribus eſſent omnia, miſerè concidiſſe, ſit forſitan à regnorum gubernaculis alienum & turpe, eos qui commodis ſuis & rerum domeſticarum incrementis, adminiſtrationes publicas ſibi omnino attingendas eſſe exiſtimant, ſolos in beneuolētiæ principalis clientela iacere, eóque genere illationes publicas & commiſſa fiſci ad priuatam vtilitatem traducere. Quid enim in gerendis publicis rebus aliud agunt, quam in partem animos defixos habent, quò ſenſus, quò acies oculorum ſpectat? an vt ſpoliis & victoriis, ex quibus veteres Romanotũ duces nihil pręter laudem domũ retulerunt, quietem otiumq; ciuibus ſuis pariāt? an vt eas dignitates, quas illi à principibus dono impetratas populo proſcribunt, ad iuſtitiæ adminiſtrationem & ſubditorum leuationem conferant? an vt im

vt immortalitati litium & publicis malis medeantur? an vt obliti commodorũ ſuorum totum corpus reip. curent, réſque gerant arduas plenáſque periculorum cùm ſalutis & vitæ, tũ rei familiaris & fortunarum ſuarum? Horum actionibus ſi fortuna principes aduerſantes, in eamque rem tam paratos feciſſet, vt eiuſmodi homines à gubernaculis excluderẽt: quid tã glorioſum, tamq; elatũ dici poteſt, quid cũ ſplẽdote & gloria rerũ geſtarũ tã coniunctũ, quod nõ Chriſtianiſsimis Principibus communicari queat? Sed tamen excelſi animi eſt, à quibus nihil opis & adiumenti ſenſeris, & quibus nihil debeas, iiſdẽ & conferre quãplurima, & omnia velle debere. In quo grauiſsimè ſint reprehendendi illi, qui tãta animi elatione, & in beneficiis collocãdis liberalitate plane inctedibili abutũtur ad vtilitatem ſuã. Romani dominatione Reip. & domi & foris præclari, eos repetũdarũ reos detulerũt, qui de prouinciis ſuis, etiã rebus proſpere geſtis decedentes, rem vel minimã vſibus ſuis addixiſſent. Neq; enim vnquã exiſtimauerũt virutem illam cõſeruatæ aut auctæ Reip. quaſi ſuapte mercede & gloria nõ contentã, ad rerũ externarũ ſubſidia deducendam eſſe: quæ ſi ab hominibus bene à natura informatis accuratè perſpicitur, ſatis ſua pulchritudine omnium animos obtentare poſsit. Aliud etiam legis capitulum apud eos relatũ erat, ne qui prouincias regerent, aliquove in officio eſſent, quicquam cũ priuatis contraherent: néve vel fœnore, vel ſtipulatione, aut empti nomine accepta rationibus ſuis referrent. Peſsime enim ſe res

habet,cum ij quos principalis clementia conſilio-
rum in Repu.ſocios eſſe voluit, de publicis com-
modis ad domeſticas vtilitates abducuntur,eaq́;
tantũ gerunt,quæ in rem ſuã magnopere fu-
tura ſint. Sed tamen auaritiæ geramus
morẽ, quæ neſcio quo communi
fato,nõ ſolùm res vrbanas,
ſed bellicas quoque
ambitu ſuo iam
pene comple
xa eſt.

Ad ſacrificia Phaſelitum.
In eos qui ſibi diuites ſunt.



Aſpice vt inſipidas, tenuiſsima munera, ſquillas
Dedicat æthereo Phaſelis ora Ioui.
Nec ſtudet occiſa diuos placare bidente,
Illa quidem ſit pars Herculeana licet.
Parcè, ſtipem miſero ſi quando exporrigis Iro,
O quoties loculum eſt nixa redire ſuum.
An cupis infelix alienæ parcere gazæ,
Tales munificos Atropos vna facit.

NARRATIO PHILOSOPHICA.


PEssima certè illa rerũ externarũ appetitione iã olim cõtracta macula,tã in populo Chriſtiano inueterauit & deſedit,vt nõ tãtùm ea nobis nõ eſſe retinẽda arbitremur, quæ hominũ decretis cõtinẽtur,ſed præclarũ diuinæ legis præſidium nõ dubitãter deſeramus. Et quẽadmodum Phaſelitæ dũ pecuniã facere vellent, tã parcè primitias diis cõſecrarunt,vt tãtũ ea offerrent quę nullo ſibi vſui eſſent futura:ſic innumerabiles reperias, qui quãquam perſuaſum habeãt nulla re magis quàm beneficiis collocatis pios & Chriſtianos cerni poſſe, ipſa tamẽ virtutis ſpecie adduci nũquã potuerũt, vt ea libẽter cõferrent,quæ Chriſtus ſibi & egenis dedicauit.Quòd ſi (vt veteres voluerunt) nihil eſt „ illi principi Deo quod in terris ſit acceptius quàm „ cœtus hominũ iure ſociati:quãta mediusfidius di„ ligentia eas virtutes tuebimur, quæ ad communitatem & congreſſum hominum plurimũ valent? Iã qui ex chirographo cõueniũtur, ad nominis diſſolutionem pignoribus captis vel etiã carcere cogi ſolent.Quidã etiam tam à natura ſunt inſtructi, vt nõ exiſtimẽt ſe diutius poſſe debere.Quorũ ego cõſiliũ vehementer probo:ſed tamen vellẽ vt in ęre Domini eadẽ diligẽtia vterẽtur,neq; illi tãto tempore reliqua traherent.Appellãtur certè ex Chriſtianæ legis ſyngrapha debitores,grauiſsimis teſtibus de expilata hęreditate Domini citãtur rei,tabulis obſignatis res agitur:neq; tamen parẽ Chriſto, hoc eſt, pauperibus volũt rationẽ aſcribere. Ita viuunt,vt potius in auaritiæ patronatu(dea enim illis

is quædam opinor eſt) quam in virtutis gentili-
tate eſſe velint. Ac mihi quidem in iſtos homines
cogitanti quærendum viſum eſt, cur cùm reliquo
virtutum genere excellentes habeantur, & ea ge-
rant ipſi quæ ſine cuiuſquam contumelia rationi-
bus honeſti ſunt coniuncta, hãc ſolùm partem in-
tactam reliquerint. An quòd glorioſum Chriſtia-
nis eſſe putant, multis rebus & pecuniis abundare,
quas ne in propinquis quidẽ ſuis ſapiens laudauit
vnquam? an quòd id expetendum eſſe putant,
quod apud imperitam multitudinem plurimum
dignationis habet? an quòd pulchrum viro bono
eſſe opinantur, ſi Chriſtum & Apoſtolos, quos
bene agendo & rectefactis conſequi aut nolunt
aut nequeunt, hac vna diuitiarum nota antece-
dant? an quòd totam animi elationem, quæ in
præſtantibus viris eſſe debet, pecuniæ pondere
metiuntur, & in eo magnum putant excellere, in »
quo vt quiſque optimus eſt, ita facilè ſe ab im- »
probiſsimis patitur ſuperari? Sed non video pla- »
nè quodnam eorum cauſæ patrocinium adfera-
tur. Nam præter id quòd virtutes omnes æterno
quodam conſenſu inter ſeſe (vt Stoici volunt)
coniunctiſsimas, officiis ſeparant, offendunt mea
quidem ſententia grauiſsimè, quòd ea præcepta
in quibus omnia ſunt præſtantibus & magnis vi-
ris, ab actionibus ſuis excludunt, atque ea ipſi
ſola conſectantur, quæ naturæ hominum atque
adeò ſenſibus maximè ſunt conſentanea: in qui-
bus fruendis neque virtus vlla, neque animi ma-
gnitudo poteſt exiſtere.

In

Ad ſtatuam Iouis & Themidos.

Iuſta à Deo roganda.



En vt Dictæo poſita eſt vicina tonanti.
Explorans hominum vota, preceſq; Themis.
Tu bona poſce Deum, metet impia vota ligone
Dîa Themis. Sanctum eſt iuſta rogare Iouẽ.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

BEllissime Themis in pōderādis hominū votis principatū habēs,ſecūdū Iouē ſedere credita eſt:quæ perpetua quadā æquitate, importunitatē eorū qui immaniſsima quæq; à Deo petūt,retardaret.Quæ hominū lues eo nomini populoque Chriſtiano videatur offenſior, quòd illis perſuaſum eſt,Deū immortalē ad hominū cupiditates & ſcelera propendere. Quid enim aut magnificum, aut liberale de Deo iudicare poſſunt,qui præſtantiſsimū illud numē in criminis nefarij ſocietatem audēt appellare,vt eo velut adnitēte, diuturni deſiderij ſui expectationem,& ſceleratæ cupiditatis ſitim explere poſsint?Nā qui à neceſſariis ſuis nōnulla contra leges petunt,ita ſunt animo affecti,vt eos quos petitione ſua volūt impellere, in eodem quo illi ſunt,errore verſari putēt.quibus ſi omnino perſpectū eſſet,tales virtuti ſoli omnia ſumma tribuere,nō temere in facilis repulſæ periculū ſeſe ipſi cōiicerēt.Quod idē quoq; de iis qui turpiſsima quæq; à Deo rogāt,dici poteſt.Quam enim illi de excellēti illa mēte perſuaſionē induerūt, qui eā nō ſolū teſtē,ſed flagitioſè ſodalitatis participē citāt.Quòd ſi Ieſus Chriſtus in ſequacibus ſuis rerū ſubſidia ne probauit quidē,qua frōte patrimoniū vberius ab illo cōtēdemus? Iā qui apud nos omni probitate excellētes perhibētur,rē gratā Deo ſe facere putāt,ſi vocis & laterū cōtētione cū domino egerint,vt filios ſuos diuitiarū & honorū acceſsione aliquando ornatos videāt.Quòd quàm parum ſit Euāgelicum,ſatis ſacra loquuntur monumēta:

Qui

„ Qui enim(inquit Chriſtus)in vobis dignitate prę
„ ſtat,fiat ſicut iunior.Quòd nō eo pertinet,vt ambitionis labore diſtrictos de curſu dignitatū reuocē. aliquos enim eſſe oportet qui præſint,& quibus pareatur.Sed vt omnibus notū eſſe poſsit,nūquam popularia illa & imperitæ multitudinis ſtudia,magnorū virorū animis inſediſſe.Cretio hæreditatis ab aliquo pro parte facta eſt,ſimulatq; familiæ erciſcūdæ iudicio arbiter eſt acceptus, nullum apud Dominū intermittit rogādi tēpus, ſacrificos interpellat,noctes & dies ſuffitus agit,vt ea portio quæ ſibi probatur magis in partē cedat.Hæc quāuis ab hominibus cætero-qui bonis facta eſſe memoria repeto,non adducor tamē vt ea ad prouidētiā Dei pertinere credā.In primis enim Chriſtianis hominibus probatum eſſe debet, vt pecuniā pro nihilo ducant:quam qui tanquam bonum & expetendum quærunt,ne illi quidem Philoſophis beneuolis & placatis vti poſsint.Quis ergo Deum tam parum diuinum & æternum ſtatuit, vt eas preces illi curæ eſſe putet, quibus eū velut ſordidati impellimus,vt eius auſpiciis filiæ noſtræ primariis viris nuptum dentur? Quis ſempiternæ illi menti tam parum tribuit, vt ad ea vota propenſam eſſe putet,quibus deprecamur impēſius vt ditiſsimæ mulieres in manū filiorū noſtrorū conueniāt?Sed hęc forſitā mulieribus in ore ſunt.in quibus etſi incredibilis virtutis & pietatis ſignificatio plerunque eluceat,neſcio tamen quo pacto ab ea ſententia tam ſint alienæ,in qua Euangelij ſplēdor ineſt totus.

In tu

In tumulum Chironis.

Optimum ad felicitatem quàm ociſsimè aboleri.



Siſte tuos Chirõ peregrino in crimine plãctus,
Nec refuge æterni viuere lege Dei:
Et ſceleratorum temeraria facta nepotum
Deſine in ærumnis connumerare tuis.

ALIVD.

Cur fugis ô Chiron donum immortale deorum?
Nec placet hæc animis Athanaſia tuis?
An quòd Achiuorum noras peccata nepotum,
Et chari immemorem pignoris Italiam?
Atque impendentes patriis ceruicibus enſes,
Et Tyberinorum fœdera rupta ducum?
Anne & fœdatos natorum ſanguine manes,
Et data cognatâ dira venena manu?
An quod & occidui teſtata piacula cleri,
Et poſitos noras munere pontifices?
Abreptum & miſeri ſcelus exitiale Gieſi,
Et ſacra Amorreis contemerata nouis?
Et ſcelera antiquo iam commutata decori,
Et patriis iuſtas moribus exequias?
An ſalſæ peritura molæ conuiuia noras,
Ventura & Libycis pemmata deliciis?
Aut lapathũ, & tenues vulgata obſonia ſquillæ
Tam ſubito in primas corruitura dapes?
Ergo age, diſce horum fœdos contemnere mores,
Et poſtliminio cœlica dona cape.

NAR

NARRATIO PHILOSOPHICA.

POSSIT aliquis in attentiſsima rerum humanarum cogitatione poſitus iuſtè demirari, Chironem immortalitatis beneficio à diis auctum vitam hanc breui ſubterfugere voluiſſe. An quòd ſimul atque in vitam tanquam in viam ingreſsi ſumus, tot periculis & ærumnis diſtinemur, vt quaſi noſtri noſmet pœniteat? An quòd in eos qui iſtum vitæ curſum tenent, tot ſæpe iucurrunt animorum & corporum ægritudines, vt meritò vitæ calamitoſæ vna mors Chironi fuerit præferenda? An quòd maiorum ſuorum flagitia accuratè perſpiciens, viuendi ſatietate mirabiliter teneretur? An quòd ſuorum temporum æquales omnibus flagitiis contemeratos cerneret, neque eorum vſum & conſuetudinem æquo animo ferre poſſet, quorum improbitas bonorum omnium ceruicibus ad perniciem videbatur impendere? An quòd populum ſuum propè deſipientem offendiſſet, vt cuius mores perditos & infames iudicaret, illius vti congreſſu nefas eſſe arbitraretur? An quòd poſteritatem intuens, & in eam diuinationis animo defixus, veneficia, adulteria, clades, latrocinia, homicidia, falſum, teſtamentorum ſubiectiones longè antè præuideret: & ea tempora putaret impendere, quibus vtilitati dignitas, ſceleri virtus, iniuſtitiæ æquitas eſſet conceſſura? An vt eorum mores & vitæ indignitatem defugeret, qui religionem ſtupro, forum cupiditate, hominumque inter ipſos communitatem dolo & fraudibus inquina-

rent? An quòd futurum aliquando præſentiret, vt quæ gens præſtantiſsima iuſtitiæ & paupertatis ſeminaria primùm habuiſſet, eadem ipſa labentibus ſæculis, ambitione, diuitiarum copia, luxu & externis rebus fœdaretur: & ea ſibi aſciſceret, quæ Chriſtus præclariſsimæ rogationis author longè à ſe & à ſuis depuliſſet? An quòd ii qui rempublicam gerunt, negligentiam, auaritiam, corruptelam, ſordes, gratiam, ambitionem ad iudicia forumque attulerunt: & qui locus beneuolentia & odio vacare debuiſſet, is talium animi ægrotationum maximè pleniſsimus apparuit? An quòd ii qui ſe Chriſtianos & eſſe & nominari volunt, pietatem erga homines (qua ferme vna fidei Chriſtianæ ſplendor, & tuendæ nos inter nos ſocietatis iura continentur) verſura, fœnoribus, vſurarum voragine, dolo malo, fruſtratione, denique illa virtutum omnium perturbatrice auaritia conuellerunt: vt nullus perdiu inter nos ſapere iudicetur, qui non ſe totum lucro, & domeſticis patrimonij ſui commodis dediderit. Itaque ſcitè & ad mores noſtros appoſitè Heſiodus ait,

Νῦν, δ' ἐγὼ μὴτ' αὐτὸς ἐν ἀνθρώποισι δίκαιος
Ε'ίην, μὴτ' ἐμὸς ὑὸς ἐπὶ κακὸν ἄνδρα δίκαιον
Ε'μμεναι, ἐι μείζωγε δίκην ἀδικώτερος ἕξει.

Nam ſi qui virtuti omnia ſumma tribuuit, inſani, ſi qui ab honorum appetitione abſunt, ſtolidi, ſi qui res humanas & fortuitas pro nihilo ducunt, excordes, ſi qui honeſtate non commodis tranquilitatem ſtatuunt, ſtulti & amentes iudicantur: quæ tanta homini ſapienti ſuſcipienda erit con-

tentio

tentio,vt in luce omnium religionem,pietatem & iuſticiam colat?ſi denique cũ ambitioſis & auaris agitur prę̨clarius, quid tãtùm bono viro enitendũ erit,vt pro ſalute omnium fortiſsima gerat & præſtãtiſsima?Sed tamen quia plus apud homines probos ipſa honeſti forma, quàm vtilitatis,gratiæ, & exiſtimationis ratio valere debet : non erit cõmittendum,vt inter aduerſaria imperitę multitudinis ſtudia, aliqua vitæ noſtræ pars officio vacaſſe videatur. Quid enim quæſo in vniuerſa natura melius virtute, quid præſtantius? quid etiam reclamante populo hominum dignitati accommodatius? quæ ſi deſpicitur,facilè tamen excellentia ſua & temporum iniuriam, & hominum perfidiam ſuperatura ſit.nec enim virtus ex hominum opinatione eſt,neque qui in eam omni ſtudio incumbunt,in officiis expendendis aſſenſionem à populo metiuntur. Quanquam autem miſerrimum eſt videre quæ nolimus, oculique maximè dolorem augeant, quòd à miſeriis cogitationem non ſinant auertere,non eſt tamen viro ſapienti recuſandum,quo minus inter tot clades & nefariorum hominũ perditos conatus,vitam ſuam aliqua leuatione cõſoletur.Si enim Deus optimus maximus, homines è cœlo ſatos huius orbis habitatores, & calamitatum, quæ quotidie ſcelere accidunt plurimorum, ſpectatores conſtituit, non debemus ita cedere animis,vt quaſi deiecti deſyderium viuendi penitus deponamus. eſt enim opinor & moderationis & ſapientiæ, eos qui ne vmbrã quidem τοῦ καλοῦ viderunt ſine cõtumelia dimittere.

In Magiſtratus iuuenes.

Vix temere ante pilos venit ſapientia.



Deſine ſtulte puer, dubiam tractare bipennim:
Anne audes molli ſtringere tela manu?
Quàm malè conſcripti tractãt arcana Senatus
Qui nondum primas deſeruere nuces.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

CIVITAS Lacedæmoniorum quæ Reip .gubernaculis, dum Lycurgi leges valebant, reliquis populis præluxit, conſilium ſuum Senes appellauit: vt omnibus iudicatũ eſſet, nullũ Rempu. attingere debere, niſi eius cupiditates omnes, motúſque animi, longior ætatis flexus cõfeciſſet: Romulúſque eos qui in rerum adminiſtratione eſſent Senatores & Patres nominauit, vt iuuenes publicis negotiis excluderet. Et Prophetarum præſtantiſsimus Eſaias, dum Iudæorum populo pro tantis flagitiis malè euenire auguraretur, hunc graues domino pœnas daturum exiſtimauit, ſi illi aliquando euenturum prædiceret, vt iuuenum & effœminatorum imperio teneretur. Quæ enim peſtis in Rep. capitalior vnquã fuit, quàm eos ipſos in magiſtratu eſſe, quos leges propter infirmitatem conſilij in tutela eſſe voluerunt? Quæ tanta temporum eſt improbitas, vt ij publicis & priuatis adminiſtrationibus velut tripudio auſpicẽtur, qui neque rem domeſticam cum dignitate gerere, neque ſeipſos gubernare poſſunt? Denique quid & authoritatis & ſplendoris ad ipſa ſubſellia adferent, qui ne domi quidem ſatis apud ſuos partes tutari queunt? Tu igitur cui nec vſus magiſter fuit, nec doctrina forum, cùm in rei ſtipulatiuncula & ſyngrapha decipiare, vllúmne tibi in Senatu iudicandi locum relinquendum eſſe exiſtimem? Quòd ſi Auguſtus Cæſar non omnibus de iure reſpondendi poteſtatem fecit, ſed iis tantùm quos doctrina prope ſingularis, & velut vniuerſo

populo teſtata virtus apud omnes commendabat: quid in eis deſyderes qui tantùm ſibi ſumunt, vt de aliorum reſponſis ſoli iudicium ferãt? quos foſan omni ſtudiorum laude cumulatos eſſe oporteat, quòd ab eis maiorem appellare nõ poſsimus. Iam verò qui alteri iudicium dictant, non prius cognitionem ſibi impetrandam ſtatuunt, quàm peritiſsimos quoſque de iuſtitia & æquitate cauſæ ſuæ in conſilium adhibuerint, vt tandẽ illis ducibus, & quaſi toto iure teſte cum aduerſario lege conſiſtant. qui ſi forſitan cauſa cadant, patronos ſuos de imperitia in inuidiam & crimen vocant. Ac mea quidem ſententia propius erat cum eis in iuriæ diſceptare, quibus id oneris impoſitum eſt vt extremi omnium ſentẽtiam ferant. Quid enim in litibus adeundis confert præparatio illa diligens, quid altior prudentium deliberatio, ſi quibus iudicandi partes attributæ ſunt id parum admodum ſentiant, ex quo magnum cauſæ patrociniũ accerſitur? Qui autẽ quaſi procincti in ſubſelliis ſententias rogantur, niſi maximis artis & naturæ præſidiis ſint inſtructi, parum certe facultatis ad ea munera in quibus degũt, ſunt allaturi. Quòd ſi aliquis primis illis annis tantam doctrinæ ſuæ fiduciam habet, vt inter tantos magiſtratus adlegi velit, non video in quo hæc dignitas laudi illi eſſe poſsit. Nam & multas ciuitates florentiſsimis rebus ſuis concidiſſe accepimus, quarum ſumma ad iuuenes redierat. Et ex ſacris quidem literis Robohami regnum quod patria virtute & auitis armis præclariſsimum acceperat, adoleſcentum con
ſilia

ſilia conuellerunt. Ex quo præclarum eſt quod apud ſuos Lycurgum inſtituiſſe Plutarchus refert vt octo & viginti Seniores à latere Principũ nunquam diſcederent, quorum conſilio omnia & foris & domi gererentur. Quis enim conſultò de re aliqua iudicauit vnquam, qui nondum rei periculum fecit? Iam in Næuii ludo cùm aliquis interrogaſſet, Cedo, qui Remp. veſtram amiſiſtis tam cito? reſpondetur, vt inquit Cicero,

Proueniebant oratores noui, ſtulti adoleſcentuli.

Et apud Homerum Vlyſſes, non alia de cauſa ſe Achille conſilio & prudentia ſuperiorem facit, quàm quòd illo grãdior natu eſſet. Etſi enim rationem eam, quæ cùm adoleuit & perfecta eſt, ſapientia vocatur, nullus forſan hominum eſt conſecutus: habet tamen affecta ætas neſcio quid cum illa coniunctum & cognatum, quod difficile factu ſit in adoleſcentibus reperire.

Ad ſtatuam Dianæ.

In ſordidos noſtrorum mores.



En vt te inſimulant caſtæ monimenta Dianæ
Aeternum hoſpitij non coluiſſe decus.
Diſce miſer tenues meritis retinere propĩquos,
Nec iam te cæcus fœnoris vrat amor.

ALIVD.

Quam quondam magnæ ſtatuam poſuere Dianæ,
Proponunt oculis Pegmata noſtra tuis.
Illa ingreſſuris ſubtriſtior eſſe videtur,
Moroſóque nimis torua ſupercilio.
Verùm eadem auerſis hilari gratiſſima vultu,
Non dubia oblati ſigna dat hoſpitij.
Noſtrorum hi mores, patriis ſic viuitur oris,
Hoc verum eſt noſtræ ſymbolum amicitiæ.
Hos, memor officij, ſi forte inuiſeris, illic
Te toruùm extemplò dira tuetur anus:
Demitit vultum dominus, metuénſque repoſtis
Vix bene ſe memorem prædicat eſſe tui:
Et gemit ingratas nullo cum fœnore meſſes,
Et ſibi Eleuſinæ numina ſæua Deæ.
Sed cum ad veſtibulum ventum eſt, & limine in ipſo
Incipit extremum iam tenuiſſe vale,
Ad cœnam citus inuitat, frontémque ſerenat,
Iactat & occiſæ ſumina læta ſuis:
Et Calabro indignos imitatur in hoſpite mores,
Hácque tegi infames indicat arte dolos.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

STATVAM Dianæ quondam in Leſbo conſecratam, qui ad illam frequentes confluebanr, diuturna quadam notatione nobilem reddiderunt, Nam in ea obſeruatum eſſe literis proditum eſt, vt iis qui templum introirent, velut ſubtriſtior ſupercilium adducere videretur: contra verò exeuntibus incredibili planè vultus hilaritate appareret: quod an caſu an verò artificis induſtria acciderit, nihil ad hoc tempus. Quantùm autem ad pręſentem ſcriptionem attinet, ſcitè ſtatua illa noſtrorum mores videatur adumbrare. Nam ſi qua tibi vetus cum horum aliquo neceſsitudo intercedit, & ſi, dum id agis vt ius amicitiæ ſanctè & piè colas, ad eum domum veneris, tantam in vultu ſeueritatem prę ſe feret, vt ſenium eſſe tibi perſuadeas. cùm autem de diſceſſu cogitās in foribus conſtiteris, & hominem iam valere iuſſeris: depoſita feritate paulùm condocefactus, te apud ſe iubebit cœnare: neque tamen prius tibi hoc iudicij & beneuolentiæ conferet, quàm certò perſpexerit te, quo minus hoc benignitatis iudicium acceptes, verecundia impetrati diſceſſus impediri. neque enim minore augendi patrimonij cupiditate incenſi ſunt, quàm amittendi metu. quo in genere ſi qua plaga accepta eſt, videas homines omni conſtantia deturbatos iacere. Quis igitur eos pro amicis complecti velit, qui res minimas ſanctiſsimis amicitiæ vinculis anteponunt? Quis pro agnatis colere, quibus modicæ rei iacturam nullis amicitię momentis ſarciri poſſe iudica

dica

dicatum eſt? Quam tamen tanti maiores noſtri eſtimauerunt, vt non tantùm pro amicis opes & pecuniam, ſed vitam profundere eſſent parati. Hoſpitalitatem certè veteres philoſophi mirabiliter laudibus efferunt: quòd hac vna virtute conſeruandæ hominum ſocietatis prope iura continẽtur. hanc Romani tam ſibi in republica retinendam eſſe cenſuerunt, vt in extruendis magnificis ędibus neque ſumptibus, neque labori parcerent: quibus aliquando hoſpitalitatis officia non exteris tantum, ſed etiam ciuibus ſuis præſtarent. Quæ laus Octauio homini nouo ad petitionem conſulatus creditur eſſe ſuffragata. Quid enim gratius facere patriæ tuæ poſsis, quàm ea liberaliter omnibus cõferre, quę natura communia eſſe voluerat. Nam neque aliqua res eſt, qua propius ad conuentum animorum, qui his vinculis elapſi in cœlo beati æterno æuo fruuntur, poſsimus accedere, quàm in beneficiis vltrò citroque conferendis tam à natura incitatos videri, vt omnes homines non amicitia tantum, ſed aut familiaritate, aut agnatione nobis coniunctiſsimos eſſe arbitremur. Quæ vnquam maior perfecti fuit expreſsio, quàm vniuerſos homines tantùm apud nos gratia & authoritate valere, vt nobiſcum arcta neceſsitudine colligatos iudicemus? quæ qui preſtiterit non hominum concurſationem & congreſſus, ſed animorum cœleſtem illam coniunctionem aſſecutus eſſe videatur. Iam iis qui olim ſemibarbaros homines, & locorum interuallis vitæque genere diſiunctiſſimos mœnibus & viuendi ſocietate ſepſerunt, hoc

hoc à ſuis teſtimonium datum eſt, vt poſt mortem pro diis colerentur: à quorum gloria non procul abeſſe eos crediderim, quibus nihil magis in vita propoſitum eſt, quàm vt ſe beneficos & liberales velint: quique egregia quadã hoſpitalitate omnes ad ius hoſpitij & familię ſuę nituntur allicere. Sed tamen in hoc genere hæc temperatio erit adhibenda, vt quò aliquis magis opis indigebit, hòc ille largioribus obſequiis retineatur. Male enim „
ſe res habet ſi in meritis collocandis fortunam po „
tiùs quàm mores ſequamur. Quis enim non po- „
tiùs ſua quàm alterius cauſa ad beneficentiam putetur acceſsiſſe, ſi locupletiſsimos quoſque officiorum magnitudine ſibi adiunxerit: eos verò qui opus habent, ne tentarit quidem? quæ & ſi ex Philoſophorum ludo ad nos eſſe profecta meritò quis dixerit: ad ea tamen Chriſtus ſuorum animos tam ſæpe exuſcitauit, vt Chriſtianorum hominum propria exiſtimari poſsint. Amicitias benefactis aucupari glorioſum eſt: ſed tamen nobis cum ethnicis commune. Qui autem apud illos quos rei familiaris anguſtiæ premunt, lubens in creditum ierit, & eis potius pecunias intulerit, à quibus propter inopiam debitum non ſit recepturus, laudetur certe hic Chriſtianus, atque hoc nomine dignus exiſtimari queat. Sed quia non vitio temporum ſolum, ſed vſurpatione eorum qui ſibi ſapiunt effectum eſt, vt hoſpitalitas alicui pro nefario ſcelere ponatur, deſino. ſic verò res ſe habet, vt quibus eſt antiquius pauperibus & amicis benefacere, quàm in patrimonij amplificatione oc-

cupa

cupari, hi lege Fannia, quæ de ſumptibus quōdam lata eſt, rei à noſtris peragantur, omniúmque ſententiis dilapidatores ſubſtantiæ ſuæ, filiiſque non ſatis conſulentes nominentur: quibus etſi à patribus debeat proſpectum & cautum eſſe, nō ſunt tamen legis præcepta deſerenda, vt filiorum deſyderio & cupiditati ſatisfiat. Neque verò Apoſtolis ceteriſque, quos militię noſtræ principes habuimus, dignitate præſtamus: qui ſi vt ſe ad Chriſti clientelam conferrent, omnia ſua abdicarunt, cur non leuiſsima rei domeſticę noſtræ iactura prēſtātiſsimū fidei Chriſtianę prę ſidiū retinēdū eſſe ſtatuemus.

In Catonem.

Omnium rerum ſatietas, præterquam diſciplinæ.



Dum tibi pes alter cani eſt in lyntre Charōtis
Magne Cato, curæ eſt diſcere Græca tibi:
Quæris & ignotæ moriens tectoria linguæ,
Nec cuicunque putas omnia noſſe ſatis.
Quò diſciplina quiſque eſt inſtructior omni,
Tantò ſe ſtudiis dedicat ille magis.

NARRATIO PHILOSOPHICA.


DOCTRINA literarum & rerum magnarum cognitio tantos in animis bene informatis amores citat ſui, vt ſæpiſsimè pro maximis laboribus& vigiliis ſua ipſius mercede ſit contenta. Nam & Carolus is qui Magnus dictus eſt, vir certè abundans bellicis laudibus, iam grandis natu in Mathematicis ſtudiis acquieuit:quorũ tam fuiſſe ſtudioſus perhibetur, vt nó minorem ex philoſophicis, quàm ex rebus geſtis laudem ſit conſecutus.totiusque Græciæ ſapientiſsimum Socratem,quanquam(vt ex eius ſermonibus colligi poteſt) omni ſcientiæ genere excelleret, tamen affecta iam ætate Cunnus cithariſtes fidibus canere docuit.Et Cato ille, cui omnium conſenſu tantum tributum eſt,vt optimus orator,ſummus ſenator, & præſtantiſsimus cenſor haberetur,cùm iam ſexageſimum impleſſet annum Græcas literas tam auidè arripuit, vt manum de tabula tolleret nunquam.Nam cum admodum iuuenis à parentibus ad rudem eſſet compulſus, neque ea quæ libero homine digna ſunt militiæ negotiis implicatus ediſcere potuiſſet, ne quidem in ſummo illo ætatis proceſſu ſibi quieſcendum eſſe ſtatuit,donec ab eis, quos antea Conſul finibus Italiæ prohibuerat, literas Græcas expreſsiſſet.Et magnos etiam viros videre licet nunquam doctrinæ ſtudia intermittere: quę tamen illis non ad rei familiaris incrementa, ſed ad priuatam animi leuationem valeant. Nam hoc ita natura adfert,vt opere ſoluti ſemper aliquid inquiramus & verſemus.vt enim errare &

ſabi turpe iudicamus, ita nihil naturæ hominis ac „
commodatius eſſe poteſt, quàm res nouas ſemper „
ediſcere. Nam (vt ait ille) equi ad curſum, ad vo- „
latum aues, ad ſæuitiam feræ gignuntur, ita pro- „
pria quædam eſt hominis incitatio, quæ ſtudio „
diſciplinæ impellitur. Quæ res opinor, Ariſtonem „
& Herillum non vulgares philoſophos eò facilè deduxit, vt in ſcientia finem boni concluderent: quorum opinio quanquam ab omnibus exploſa eſt: non video tamen in quo eos homines, qui ad præclara doctrinæ ſolatia confugerunt, non illis anteponendos exiſtimem, quibus cum lucro omnis cura & cogitatio defixa eſt. Nam qui tam parum liberaliter de virtute ſentiunt, vt pecuniam & lucrum facere, honeſto literarum otio anteponant: quid aliud efficiunt, quàm vt corporatæ voluptates præclariſsimis animi bonis præferantur? Obſcurum ſanè genus hominum ea ſola laudantium, quorum cupiditate ſummopere capiuntur. Iam qui tam aptus ex ſeſe eſt, vt nihil aut expetat aut admiretur, niſi quod cum virtute & rerum maximarum notitia coniunctum eſt, is apud eos ſyderatus & inſanus appellatur. neque ex eis quiſquam erit, qui nõ potius de foro adſtipulatorem, quàm eiuſmodi hominem etiamſi opibus antecellat, ſibi generum eſſe velit.

In ſtat

In ſtatuam Memnonis in Æthiopia.

Contra aduocatos.



Memnonis effigiem iam non mirare viator,
Quæ tacet, & Pharij ſigna dat Harpocratis.
Sed cum ſol radijs os pelluſtrauerit eius,
Incipiet fari quæ taciturna fuit.
O quàm difficilis promit reſponſa patronus,
Ni manibus præſens cernat adeſſe lucrum.
Sed tunc ille reis oracula Delphica reddit,
Cum feriunt oculos aurea dona ſuos.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

MEMNON deus oraculis reddendis & magno populorum cõcurſu tota Æthiopia nobilitatus, ſtatuam habuiſſe fertur, quæ ad conſilium expetita non prius reſponſa dabat, quàm ſol in eam radios conuertiſſet. ſimul atque verò aſpectum ſolis perſenſerat, eos qui ſciſcitatum venerãt, certos compotéſque conſilij dimittebat. Quo genere narrationis appoſitè eos qui in foro togati volitant, quique in cauſis agendis precarium quæſtum faciunt expreſſeris. Quos ſi animi dubius, de lite aliqua in deliberationem voces, niſi prius pecuniam numeres, citius profectò aquam ex pumice extorqueas, quàm ab illis rationem conſilij tui. Quòd ſi (vt inquit Perſius)

Doloſi ſpes refulſerit nummi, „

ſplendorque ille ſolis, qui in nonnullis numiſmatibus cælatus apparet, aciem oculorum cõtigerit,

Coruos poëtas & poëtridas picas, „
Cantare credas Pegaſeium melos. „

Quod auaritiæ genus, & ſi non tam iis qui cauſas agunt, quàm iudicibus ſit vitio vertendum, non eſt tamen dignitati eorum qui leges tractant conſentaneum, tanto acquirendæ pecuniæ deſyderio teneri, vt niſi eius auſpiciis nihil quicquam aut priuatim, aut publicè aggredi velint. Nam & Romani veteres lege Cincia lata conductò cauſas agere vetuerunt: quòd hac cautione nõ patronorum tantùm, ſed etiã totius ordinis amplitudo cõtineretur. Aliquot verò pòſt ſæculis, cùm nec vetu-

ſtas

ſtas ipſa vulgi opinionibus oppreſſa ſatis maie-
ſtaté ſuam tutaretur, leguleiorum cupiditati per-
miſſum eſt, vt præſtantiſsimum poſtulandi mu-
nus authoritate legum abduceretur ad præmium:
hac moderatione adhibita, vt in ſingulas cauſas
non plus quàm centum aureos clientes appende-
rent. In quo & ſi legum authoritas ſatis momenti
ad excuſationem habitura ſit: verendum eſt tamen
ne ex decretis illis plus ſibi licere velint, quàm
Chriſtiani Euangelij decus pati poſsit. Nā ſi egen
tibus rerum adiumenta edicto Euangelico iube-
mur impertiri, qua quæſo incitatione in eos con-
ſiliis noſtris adiuuandos eſſe debebimus? quæ res
etſi bene & feliciter illis euenerit, nihil tamen no-
„ bis hoc nomine ſit deceſſurum. Qui enim (vt ait
„ Ennius) alteri de ſuo lumine lucernam accendit,
„ facit vt nihilominus ipſi luceat cum alij accende-
„ rit. Ego verò etſi iis minime ſubiratus eſſe velim,
videatur tamen plurimum offenſionis habere, ſi
tenuiores qui pecuniam quam non habent, præ-
ſtare nequeunt, conſiliis noſtris arceantur. Iam ve-
rò maiores noſtri domum Iuriſconſulti oraculum
totius ciuitatis appellauerunt, ad quam ſi non re-
ges & principes, at certè tribules & ciues ad con-
ſilium accederent. Nonnullorum vero aduocató-
rum ædes, accommodatius opinor ἐμπόρια ciuita-
tis appellare queas. Et certè plerunque euenit, vt
qui aliquid à mercatoribus emunt, illis multas
ſummas reliquentur. at cum nonnullis pragmati-
cis nihil egeris, niſi pecunia in numerato ſit. De-
moſthenes quidem vir dicendi laude præſtantiſsi

mus,non tantum pecuniam accepiſſe,vt cauſas agerет,& pro amicis reis de manibus iudicium ſententias extorqueret,ſed etiam magnò tacuiſſe fertur. Tanta enim erat in eo homine eloquentiæ vis, vt eos qui audirent quo ſe cunque raperet, poſſet dicendo impellere. Cui fortaſſe ſit indulgendum, quòd nunquam ad dicendum paratus acceſſerit, niſi ſummis vigiliis & labore diuturno actiones ſuas ſecum ipſe eſſet meditatus. Et æqualis temporum illorum Iſocrates,cum (vt ille de ſe teſtatur) ingenua quadam timiditate à dicendo refugiſſet, orationem vnam viginti talentis vendidiſſe fertur. Illoq́ue maior natu Lyſias , cũ opinor populi mores ferre non poſſet,delectatus re ſua familiari nõnullas orationes domi conſcripſit, quas amicis iisq́; qui lite pulſabãtur,proſcriberet. Quod hominum tenuitati & ſtudiis ſit permittẽdũ. Neque enim ij qui honorarij ſpe in iudiciis&foro verſantur, mea ſẽtẽtia improbãdiſunt: ſed ſi quis eſt inter eos quẽ tãtũvirtutis forma retineat &oblectet vtpauperes patrocinio ſuo gratiaq́;iuuet,&in cauſis agẽdis eiuſmodi hominibus liberalẽ operã præſtet,is bonorũ iudicio Chriſtiani hominis laudẽvideatur eſſe cõſecutus. Atq; vt præſtantis & excelſi animi eſt,eum qui rem habeat,ſine mercede cauſas tractare,ita iis quibus res paulò anguſtior erit honeſta lucri & vtilitatis ratio nõ erit inuidẽda : ſi modo ab honeſtate nõ ſit ſeparata . Quidam ſunt enim in eo genere tã parũ verecundi,vt neq; dignitatis,neq; ordinis rationẽ habeant, ſed tantũ naturæ ſuę, quæ aliorũ ſubſtantia & opibus ne expleri quidem poteſt.

In ſtatuam Iouis.

Vindicta diuina.



Iuppiter, ætherea qui fulmina vibrat ab arce,
Intextos lana fertur habere pedes.
Tardior ira Dei, & lento vix cognita greſſu,
Vltrici inſequitur crimina noſtra pede.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

QVANQVAM apud veteres Ethnicos mirifica illa dei benignitas & clementia nullis illorum monumentis conſignata eſſet, facilè tamen rerum & euentorum coniectura ſunt adducti, vt honorificentiſsimè de ea prædicarent. Cùm enim perſpicerent Deum ad nocentium delicta tandiu cóniuere, neque eum de ſceleratis hominibus pœnam niſi ſerò repoſcere, illum laneos pedes habere crediderunt, quòd incredibili tarditate, aliquãdo tamen, inſperantibus nobis invindictam ſcelerum immineret. Et apud Hebræos, quibus ille antiquitus propter beneficiorum magnitudinem familiarior erat & notior, maiorem in modum iracundiæ ſuſtinens exprimitur, quique niſi rebus propemodum deſperatis ad ſupplicium accedat. Verùm ne tanta illa manſuetudinis laus perditos homines, quos vel peccare delectat, facilitate delinquendi incitaret, eum ſupplicij tarditatem, ſeueritate ſarcire voluerunt: vt homines omni flagitiorum genere impuri nihil ex diuturnitate temporis, compendij cauſæ ſuæ accedere iudicarent. quod in omnium longè crudeliſsimo Sylla accidiſſe hiſtoriæ teſtantur. Cùm enim ciuili bello Marium confeciſſet, deinde victor omnia miſceret, ſibi viueret, ciues circunſcriberet, ita dictaturam geſsit, vt nihil eum ſceleris, nihil crudelitatis præterierit. Qui verò dies à tantæ dignitatis perfunctione illi aditum ad quietem dabat, is omnium ei calamitoſiſsimus apparuit. Nam depoſita dictatura iam natu maximus tantis corporis dolori-

bus

bus cruciatus eſt, vt omnium iudicio mors tam luctuoſa vitæ felicitatem deleuerit. Marcus verò Craſſus cum Syriam cum imperio eſſet ingreſſus, Ieroſolymam florentem opibus venit, vbi ea quæ orientis reges à multis ſæculis in templo domini conſecrauerant, quibusque Pompeius Magnus tantarum nationum victor pepercerat, diripuit. At ne ille quidē tot manubias in patriam retulit. Nam & non ita multò pòſt tempore filium crudeliter interemptum à Parthis vidit, & tandem amiſſo exercitu miſerrimè concidit. Sed hæc opi„
nor Chriſtianis non probantur, qui-„
bus hac vita non eſt circunſcri„
ptus mercedis aut ſup„
plicij locus.„

Ad ficum.

In eos qui promittere, quàm facere maluerunt.



Si lubet, inſignem, quam mittimus, accipe ficũ,
Forſan & hæc vitæ corriget acta tuæ.
Vere nouo nullo florum veſtitur honore,
Et tamen autumno dulcia poma gerit.
Quid tua me dubiũ toties promiſſa morãtur?
Quod ſpondes primùm, ſi ſapis, illud age.
Talia vel miſeros poſſent promiſſa beare,
Ni ſtructos tandem proderet arca dolos.


NARRATIO PHILOSOPHICA.

NVLLVM opinor eſt hominum genus, quod propius ad leuitatem accedat, quàm ij qui dum promiſsis, æqualium ſuorum beneuolentiã aucupantur, in illisque fidem & nomen diſſoluere aut nolunt aut nequeunt, efficiũt eos apud quos in promiſſum ierunt, locupletiſsimos teſtes incõſtantiæ ſuæ. Vt enim æquabilitas in omni vita, & » dictorum factorumque conſtantia ſemper laudãda eſt, ſic nihil eſt humanæ ſocietati magis contrarium, quàm promiſſorum liberalitatem factis non conſequi. In quo adhibenda ficus eſſet, quæ quanquam ipſa verni temporis ſerenitate minimam baccarum ſpem hominibus iniiciat, neque florem edat, autumno tamen poma toto orbe nobilitata proferre ſolet. Qui igitur rationem cum terra habuerit, (cuius, vt inquit ille, tanta eſt benignitas vt nunquam recuſet imperium, reddatque ſemper cum fœnore quod accepit) & ex arboribus quid in vita ſit agendum didicerit, tantum ſanè imperabit ille ſibi, vt lubenter ad ea explenda accedat, in quibus fidem ſuam pollicitatione obſtrinxerit. Alij verò ſunt qui in nonnullis magiſtratibus renuntiati, incredibilem ſui rerũ bene gerendarum expectationem apud omnes concitant: in eos populus oculos defixos habet, ad illos omnes conſtituendæ reipublicæ cauſa proſpiciunt. Hi ſimul atq; in dignitate fuerint locati, ita ſe gerunt, ita in magiſtratu verſantur, vt facilis ſit omnium exiſtimatio, quantùm nos eorum fi-

des,& noſtra de ipſis opinio feſellerit. Nam cùm priuati procul ab omni ambitione degunt, facilè animaduertũt in. quo offenditur:capeſſentes autẽ gubernacula reipublicę,capti credo cõmodorum magnitudine, iudiciũ omne cũ pudore abiiciunt: audentq́ue eorum perpetuam propugnationem ſuſcipere,quæ antea acerrimè fuerãt inſectati.Iam quotus quiſque eſt eorum qui in rebus agunt,qui ſi non cognitione,at ſaltem auditu non attigerit, ex bonis eccleſiaſticis nihil niſi quadrantem rationibus ſuis inferre poſſe: reliqua autem pauperum tabulis ex lege canonum eſſe inferenda. Hoc certè tam peruagatum eſt, vt in ore ſit omni populo.qui tamen ſunt in illa cauſa, non grauatè patiuntur ſe in eo temporum errore verſari,honeſtiq; rationem ſpecie vtilitatis conuelli. Ac mea quidem ſententia,qui vtilitatem pugnantem cum ratione,virtute ſuperiorem eſſe volunt, quibusq́; plus lucra domeſtica, quàm dignitatis momenta põderari ſolent,hi à rerũ & publicarũ & priuatarũ adminiſtratione alieni eſſe debent. Vix enim eſt,vt in publico magiſtratu deſignatus præclarè ſe gerat,qui curam, ſtudium,induſtriam denique omnem in re familiari tuenda & augenda collocarit.

Ad araneam, vulgatũ ex Diogene.

In corruptos iudices.



Dum volat, elatæ telas diſrumpit Arachnes
Oeſtron, & impauidè mollia penſa terit.
Sed capitur tenuis macilento corpore muſca,
Nec fugit arguta retia ducta manu.
Sic pauper poſitæ ſortes vix effugit vrnæ,
Sed diues rupto vimine tutus abit.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

VETVS & iam ab antiquis ducta temporibus ad nos eorum permanauit improbitas, quibus cum decretum eſſet in eo ſe genere maximè exercere, quod in publica rerum moderatione poſitum eſt, tamen tam ſordidè in præſtantiſsimis illis muneribus ſe gerunt, vt ſuorum commodorũ ſolùm rationem habeant. Nam ſi æquitas illa eſt
» quæ omnia recta & inflexibilia exigit, ſi ea eſt iu-
» ris ratio, vt neque inflecti gratia, neque perfringi
» potentia, neque adulterari pecunia poſsit, videa-
» tur ſanè iudicantiũ religioni magnopere conſen-
» taneum, in ſententiis ferendis æquabilitatem ſer-
» uare, eundemq́; ſemper ad iudicia vultum afferre,
» quẽ in Socrate omni vita fuiſſe accepimus. Quòd
» ſi quis in vindicandis ſceleribus ſe ſui quàm legũ ſimilẽ eſſe mauult, & in pœnis conſtituẽdis potius gratia aut iracundia quàm æquitate ducitur, quæ peſtis homine illo in republica pernicioſior eſſe poteſt? Seueriſsimè nonnulli ad pœnam expetuntur, alij iiſdem de cauſis ne appellantur quidem: Perditis ciuibus tutò in ciuitate licet degere: ij autem quibus pro ſingulari quadam virtute, victus publicè in aliquo Prytaneo ex Senatuſconſulto decernendus eſſet, ſæpiſsime in periculum famæ & capitis ſententiis iudicum vocantur. Atque vtinam iudices noſtri tanto ſtudio præſidia æquitatis ſibi retinenda eſſe proponerent, neque magis gratia alicuius aut beneuolẽtia de officio deduci poſſent, quã Herculẽ illũ à voluptate allici potuiſ-
» ſe Xenophon refert. Nunquã enim qui vel iratus,

vel

vel amicus accedit ad ſententiã,eam mediocritatẽ tenere poteſt, quæ inter nimium & parum iacet. ” Nã quis erit in cauſis decidendis apud eos iuſtitiæ locus, qui ſe non tantum ad voluntatem potentiũ nutumq; referunt,ſed iudiciorũ maieſtatẽ mercede ſola metiuntur? Si quid homini pauperi cum diuite negotij eſt,& diuitẽ in cauſa iure inferiorẽ futurum longe ante præſentiunt, ita res expedietur,vt aut lõga mora aditúſque difficultate pauperi homini faſtidiũ adferãt, aut inſtrumenta litis eo deponãt loco, vnde nunquã in verũ ſolem proditura ſint.Neq; vero Diogenes Cynicus inſcitè iſtum in ſuffragiis ferendis modum,araneorum telis ſimilem faciebat.Vt enim grandiores muſcæ quæ aſila nuncupantur, facile araneorũ telas pertranſeunt: at paruæ & tenues illis irretitæ laqueis capiuntur: ſic homines haud magna in re quantumuis tamen fidei pleni, vix temere iudicũ anfractus effugiunt:iis verò quibus liberalior fortuna eſt, etiam inter media iudicantium ſubſellia licet tutiſsimis eſſe.Quòd ſi ita ſe in eo ordine verſari prędicẽt,quòd forſan aliqua animi ęgritudine & metu fracti,in potentiſsimos legibus cõſtituere nõ audeant,hoc ne illis quidẽ patrocinari queat. Aut enim ij partes quæ ſibi à populo vel principibus attributę ſunt,tueantur neceſſe eſt:aut omnino priuati domi degant.Multis certè,quanquam ſint puſilli & anguſti animi, nunquam vitio verſum eſt, quòd res magnas plenaſque periculorum non adeant. Iis autem quorum ambitionis labore vita occupata rebus publicis gerendis

des implicatur,non ſit ignoſcendum , ſi eiuſmodi ægrotationes ad rerum adminiſtrationem attule-
„ rint. Præſtat enim dignitati fortiter cedere, quàm
„ nulla cum laude in officio eſſe. Neque tamen hoc apud nos conſilium magnopere ſit neceſſarium, quibuſcum ex principum clementia tam feliciter actum eſt,vt ſemper virtutis & iuſtitię valeret authoritas. Quòd ſi qui ſunt tam magno & forti animo,vt etiam contra potentiſsimos decreta ferant , neque metu à ſaluberrimi Senatuſconſulti perſcriptione abducantur, ſatis ſibi perſuadere poſſunt , ſe eius conſilij principes non tantùm laudatores , ſed etiam adiutores habituros.

Sybaritha in plateis.

In leuiculos huius temporis.



Aſpice vt in plateis ſimilis reſupinus oberrat
Et molli ingreditur compita noſtra pede.
Vtque pererratis fragrat lacinia vicis,
Et ſiccam infecto murice verrit humum:
Gaudet & inſulſa tunicati voce popelli,
Et putat his omnes fallere poſſe dolis.
Tranſuerſóſque ſibi ſpectantûm colligit hircos,
Dum ſtudet in populo tertius eſſe Cato.
Hinc hinc, hæc pauper nouit faſtidia Baucis,
Nam doctis fidei frons habet iſta parum.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

INTER eas malorum omnium & voluptatum illecebras quæ quondam apud Sybarithas viguerunt, nulla magis reliquarum gentium riſu & ſtomacho excepta eſt, quàm mollities, quę iis quoties de domo in publicum proceſsiſſent, familiaris fuiſſe perhibetur. Nam tantus erat in illis faſtus, tanta in ingreſſu mollities, tam impotés aſpectus, tanta denique inveſtis compoſitione cura, vt quidvis potius quàm homines eſſe facilè adduci potuiſſes. Sed quis tam leuiter ſapiens eſſe poteſt, qui eiuſmodi ineptias vel apud imperitam multitudinem aliquid authoritatis & momenti habere credat? Quis eſt tam totius humanitatis expers, qui iſtos fucos moderatè & æquo animo ferat? Nec enim tam aſpernādæ homini partes à natura ,, datæ ſunt, vt illi in rebus adumbratis ponendus ſit ,, dignitatis decor. In quo vident illi qui apud nos ,, quotidie multo ſerico, multis vnguentis in publicum prodeunt, quantum ſe de nobis fefellit opinio. Nam à quibus plurimum gratiæ & mirationis ſe aucupaturos iudicabant, eos profectò colligunt ſempiternos teſtes inſipientiæ ſuæ. qui ſi ſe Q. Hortenſium imitari dicant, quē homini, quòd ordinem & cultum veſtis ſuæ conturbaſſet, actionem ferunt intendiſſe: ne tamen mihi tantam infantiam etiam oratore Hortenſio probauerint. Quid enim tam flexibile, tamque lubricum eſſe poteſt, quid porro ab homine tam alienum, quàm ex eo laudis argumentum quærere, cuius fructus vt in ſola hominum opinatione iacet, ita non

po

poteſt eſſe diuturnus. Ineſt certè maximéque in ſummis & excellentibus animis gloriæ cupiditas, quæ tam virtuti ipſi coniuncta eſt, vt vtriuſque conſenſus ſit æternus. Sed tamē nullus eorum imperatorum qui patriam ſpoliis ſuis triumphiſque decorârunt, ex re tam ludicra aditum ad gloriam homini patere exiſtimauit. Quibus autem propoſitum eſt pro republica aut fide fortiter dimicare, quique nullum de publica ſalute cogitandi tēpus intermittunt, iis opinor ſit permittendū, ſi gloriam tanquam benefactorū & teſtem & mercedē ſe ſequi dicant. Qui verò in ea ſententia ſunt, vt perpetuam pro laribus ſepulchriſque ſuis propugnationem ſuſcipiant, nec quicquam otio præſtantius eſſe ducunt, quia longiſsimè à vera laude & rectefactis abſunt, ad vmbras & ſimulachra cōfugiunt, atque ex eo ſe laudari volunt, quod poſt „ homines natos glorioſum duxit nemo. Neq; enim „ tanta eſt inertia temporum, vt imitatrix boni ina „ nitas & pondere & natura ſua ſpeciem illam ho- „ neſti apud homines referre queat. Nam vera glo- „ ria radices agit & propagatur, facileque ſe ab in- „ iuria mortalitatis & ſilentij vendicat: ficta autem „ tanquam floſculi (vt inquit ille) celeriter decidūt: „ neque quicquam eſt perpetuum, niſi quod virtu- „ te & rectefactis tibi paraueris. Quòd ſi eam laſci „ uiam tam impensè probant, vt de illa nunquam deduci poſsint, quæſo ne tam ridicula apud eos inculcent, qui de actionibus honeſti iudicare poſſunt: ſed ea ipſi coram tribulibus ſuis bonis viris depromant: quibus forſan, vt de ſuis dicebat Lu-

cilius poëta, plus palatum quàm cerebrum ſapit. Diogenes quidem, ſi quando in eiuſmodi homines incidebat, nullum ſibi præſentius contra eam importunitatem remedium à diis immortalibus euenire precabatur, quàm in lapidicinas longè abduci: vt quos contuens ferre non poterat, diutius
„ audire non cogeretur. Lenius Plato, ne quando,
„ inquit, in ſimili errore verſer. qui ſi opinor hominibus iſtis eſſet vſus, nihilo forſan Diogene fuiſſet placatior. Quis enim tanta animi facilitate eſt, aut potius tam ſenſu videndi & audiendi caret, qui vel ſi iſta diſsimulare queat, his tamen poſsit non vehementer offendi?

Libertas cuius proprium eſt,

Sic viuere vt velis.



Annulus articulos ſi quãdo aſtringit & vrget,
Hunc ſubito innocuis excute de manibus.
Stulte quid affectas alieno viuere voto?
Nullo libertas ære, libráque licet.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

MIHI olim temporum noſtrorum reputatio nem facienti quærēdum viſum eſt,quæ duæ res in hominum vita eſſent, quæ animos noſtros maiori voluptate incenſos ad ſe prolectarent. In quo etſi difficile factu ſit æſtimantem non offendere,non tamen procul à vero diſceſsionem feciſſe iudicetur,qui de libertate & auaritia ita ſtatuerit,vt nulla re magis homines in vita retineri poſſe arbitretur.Nam vt auaritiam(quæ quantum apud multos authoritate valeat ſatis perſpectum eſt)relinquamus, tantũ ſemper ponderis omnium conceſſu libertas habuit,vt nemini parere animus bene à natura informatus velit. Quo in genere principes illi philoſophi fuerunt, quibus cũ idem propoſitum fuiſſet quod regibus,vt nemini parerent,libertate vterentur, facilè eam ſententiam animo ſunt complexi, quæ imperia & dominatus externaque ſubſidia infra hominem poſita eſſe iubet,& otiũ rebus omnibus anteponit. Quid enim eſt tam elatum & magnificum, quàm id ipſum cuius habendi cupiditas,& ſeruandi metus reliquos homines miſerè cruciat,fortiter aſpernari, ea autem in ſummis bonis ponere,ex quibus animus ſapientis vere diues appellatur?Iam igitur in eo hominum genere non niſi incredibilis virtutis ſignificatio eſſe poteſt, qui ita ſunt affecti vt magiſtratus contemnant,gloriam negligant, popularibus ſtudiis nihilò capiantur,in domeſtica autem libertate & quiete mirificè ſibi placeant. Et ex hominibus quidem noſtris vehementer laudo eos, qui-


bu

bus quanquam vocis ſuauitatem, firmiſsima late ra, æquabile dicendi genus & profluens natura cõ ceſsiſſet, vereque tales effeciſſet, qui in foro ſumma cum gloria, & ampliſs imis commodis verſa rentur, tamen ſemetipſos à ſubſelliis illis & iudiciorum ſtrepitu voluntate remouerunt: nihil propius homini Chriſtiano iudicantes, quàm fructũ otij ad rerum magnarum cognitionẽ traducere, aut ſaltem nõ iis ipſis delectari, quæ homines imperiti, vel qui ſuo magis quàm alieno iudicio ſapiunt, pro bonis & valde appetendis ducunt. Et opinor valde glorioſum eſt, res anguſtas ſi modo » adſit otium & quies, clientelis potentium antepo » nere, vereque regium & liberalitatis plenum do- » meſticam tenuitatem quiete & tranquillitate ſola » ri: quæ tam nonnullos voluptate incendit ſui, vt » plerunque magnorum hominum liberalitatem & beneficia non inuiti defugerent, dum impendiò verebantur, ne ex tali meritorum ratione illis aliqua imminutæ libertatis labes inuri poſſes. Omnino autem miſera eſt eorum conditio, qui ſe ad a- » liorum nutum & voluntatem conferunt. Neque » enim illis ex animi ſententia viuere integrum eſt, » neque planè laudabile eorum vultum non diligenter obſeruare, quorum authoritati & mancipio ſeipſos dediderunt. Iam verò vt cætera incommoda omittamus, quid tam parum liberale eſt, quàm ita ex aliorum affectibus pendere, vt neque ridere, neq; tecum meditari, neque lugere, niſi ex vnius perturbationibus queas: & velut priuata animi incitatione depoſita, niſi illius ſenſu nũquam

moueare:eius olfactu,guſtatu,oculis,ſolùm odo-
reris,guſtes & videas. Quod verò omnium longè
turpiſsimum eſt,eiuſmodi homines ſæpiſsimè ne-
fariorum ſcelerum non teſtes tantum , ſed & par-
ticipes adhibentur, & plerunque aut verecundia,
aut animo fracto ea coguntur approbare,quæ im
maniſsima eſſe ſemper iudicarunt.Ego quãquam
ab hoc ſeruitutis genere vel natura longiſsimè ab
ſim:tamen tam me ipſa vitæ ſpecies offendit , vt
neque eius probitate cui ſit inſeruiendum , neque
commodorum magnitudine,vteam rem compro
bem,adduci poſsim. Atque, vt breui dicam,is mi
„ hi videbitur ſapere,qui,vt dicebat Plato,nó aliun
„ de pendebit,neque extrinſecus bene aut male vi-
„ uendi ſuſpenſas habebit rationes . Nam & qui
alterius cauſa malè & contra leges egerit,
id aſſequitur , vt etiam eum cui hoc
præſtitum voluerit,facti de-
riſorem ha-
beat.

In ſymbolum Pythagoræ.

In ſcaphio ne edito.



Quiſquis es in ſcaphio qui feſta obſonia cōdis,
Non eſt hæc noſtræ commoda menſa gulæ.
Quos habet attonitos vitijs mēs ĩproba, iuſtus
Indignos aditu iudicat eſſe ſuo.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

PYTHAGORAM ſummæ authoritatis philoſophum ſeuerisſima ſententia ſuis edixiſſe ferunt, ne omnino in ſcaphio ederent, néue ea obſonia quæ ſumma ſua benignitate natura nobis cõceſsiſſet, parum honeſto vaſe deturparent. Quo dicendi genere homo prudentisſimus alumnos diſciplinæ ſuæ, à nefariorum hominum cõgreſſu & amicitia reuocare nitebatur. Vt enim præter dignitatẽ paterfamiliâs facere exiſtimetur, ſi ex lauto inſtrumento ea vaſcula in vſum menſæ dedicet, quorum aſpectus animos hominum ad turpem cogitationem ſit deducturus: ita is optimam ſibi naturam inuidiſſe ſit iudicandus, qui perditos ciues cõgreſſu, ſuffragio & aditu dignos putauerit. Quid enim tam moribus inculpatis inimicũ eſt, quàm cum iis ipſis coniunctiſsimè viuere, quorũ non ſolum dicta, ſed & facta, præſtantiſsimas virtutis actiones conantur euertere, & honeſti ſpeciem imitatione boni ad impuriſsimas voluptates traducere. Iam verò tales à natura creati ſumus, vt nobis illius adiumentis (ſi tamen ab ea non diſcedimus) ſatis eſſe poſsit ad bene beatæque viuendũ. Sed plerunq; accidit, vt præclara illa omnia virtutum ſeminaria ſceleratorum colloquio & vſu obruantur, neque amplius naturæ lumen eluceſcat. Itaque rempublicam gerentibus id primũ enitendum eſſe ſcribit Plato, vt ſceleratos homines è finibus expellant, néue eos diutius in ciuitate eſſe ſinant, quibus ſtantibus in republica ſplendor & quies retineri non poteſt. Quid enim nouarũ vo-

lupt

luptatum artificibus (quibus tamen Xerces præmia lege conſtituit)quid nouorum portoriorum & tributorum inuentoribus (quos Dionyſius tyrannus mercede honorauit) in bene morata ciuitate negotij eſt,vt eodem iure cum reliquis bonis cenſeri debeant?Quid enim aliud agunr quàm vt publicum otium cõſiliis perturbẽt ſuis, ſummorũ virorũ principatũ penitus de republica deleant,& tenuiores in diſcrimen fortunarum & capitis vocent?Quod hominum genus & noſtra ætate aliquando,& etiam patrum memoria multas ciuitates lacerauit : digni opinor quibus decernatur in foro ſtatua , in ſenatu locus:adde etiam ſi placet, victum in Prytaneo:vt ab ea republica pro qua tam bene & nauiter laborauerint, ſummis beneficiis in luce bonorum omnium augeãtur.

Ad ſtatuam Caſſandræ.

In conſuetudinem fori.



Concinit infelix caſus Caſſandra futuros,
Pergamáque Argolicis depopulãda rogis,
Sed fruſtra eximiæ proſtant oracula vatis,
Fœmineisq; fides non datur augurijs.
Sũt quibus eſt Piliæ præſtãs facũdia linguæ.
Quóſque iuuat Samij clara ſophia ſenis.
Nec Lugdunenſis metuunt certamina cæſtus,
His tamen ab noſtri non fauet aura fori:
Hos infauſta premũt quintæ præſagia lunæ,
Et fouet exiguo ſportula curta foco.


NARRATIO PHILOSOPHICA.

CASSANDRAE Priami regis filiæ infortunium iuſta miſeratione proſecuti ſunt nonnulli, quòd cùm ab Apolline diuinandi ſcientiam accepiſſet, tamen tam obſcurè in illo munere verſata eſt, vt futura quidem longè antè prædiceret, ſed ex omnibus ad quos ea res pertinebat, fidem faceret nemini. Nam & flagrante bello Troiano, niſi Helena reſtituta cum Græcis reditus in gratiam intercederet, excidium celeberrimæ vrbis vaticinata eſt: neque tamen præſenſionibus ſuis quicquam profecit. Præterea cùm capta & incenſa Troia, eadem vates Agamemnoni ſorte obtigiſſet, multa ampliſsimi regis euenta præſagitione complexa eſt: præuiditq; futurum aliquando, vt ille ab vxore ſua extrema pateretur: quæ diuinationes cùm nihil ponderis apud eos quorũ magnopere intererat, habuiſſent, etiam in ipſa triſtiſſimi caſus acerbitate, homines illos vel ipſa memoria perculerunt. Non omnino Caſſandræ, meo quidem iudicio, diſsimiles videri poſsint, ij qui in foro togati volitant, & in centumuiralibus publicíſque iudiciis vicariam litigantibus operam ſuam præbent: inter quos innumerabiles reperias iis artibus quæ libero homine dignæ ſunt, mirificè inſtructos, quíque ad ea humaniorũ literarũ pręſidia incredibilẽ iuris & legũ ſciẽtiã adiũxerũt: ſed tamen neſcio quo illorum fato ab omnibus contemnuntur, & plerunque iis fama concedunt, quos omnibus ſcientiarum ornamentis facile ſuperabant. In quo etſi graue eſt iis principem lo-

cum cedere,qui tecum magnarum rerum cogni-
tione non ſint comparandi:ferendum eſt tamē (vt
» in quadam oratione L.Craſſus grauiſsimè prędi-
» cauit) in iis ipſis te vinci quæ labore & induſtria
» homines ſibi parare nequeunt.at in his glorioſum
eſt multis antecellere , quæ neque fortunæ, neque
potentium gratiæ accepta referre debeamus. Etſi
» enim fortuita plerunque mirationem & cla-
» mores faciunt in populo, ea tamen ſo-
» la verè laudantur,quæ cum vir-
» tute & priuata cuiuſque
» animi incitatione
» coniuncta
» ſunt.

Ad ſtatuam Palicorum.

In periuria fori.



Aſpice Pœna fides, verique ignara Corinthos,
Et queruli interdum turba togata fori:
Anne hominum credis periuria ferre Palicos,
Cùm ſpernas iuſti numina ſumma Dei.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

APVD Catanam in Sicilia duo amnes ſunt, qui Delli vocantur, hi ab incolis quondam maxima veneratione habiti ſunt, quòd ex eis Palicos geminos fratres emerſiſſe, & amœniſsimam hanc lucem aſpexiſſe antiquitas credidiſſet. Cùm enim Thalia nympha ex Ioue grauida metueret, ne quid ſibi periculi à Iunone crearetur, precibus à Ioue contendit, vt in tam propinquo diſcrimine terra ſibi dehiſceret. Quod cùm eſſet factum, diuinitus tamen accidit, vt ipſo partus die fratres Palici è terra emergerent, & Iouis beneficio in vitam ingrederentur. hi propter mentis integritatẽ opinor, præſtandis iuramentis teſtes adhiberi conſueuerunt, atque ea conceptorum verborum forma erat, vt ſi conditio ſub qua contractus inibatur, eueniſſet, res aliqua ſub religione iureiurandi pręſtaretur, dato etiam expromiſſore qui rem totam fide ſua eſſe iuberet. Ex quo efficitur periuriũ non ſacris monumentis ſolùm, ſed & veterum poëtarum fabulis nefarium ſemper ſcelus fuiſſe. Ac verè mihi videbor eſſe dicturus, id quo nomine à reliquis nationibus Græcos videmus inuadi, idem apud iudiciorum & fori noſtri pragmaticos in conſuetudinem veniſſe. Nam vt vetus Græcia totius diſciplinæ princeps, & Athenæ illæ ſcientiarum omnium inuentrices ſemper habitæ ſunt, fidei tamen & integritatis laudem nunquam tulerunt: tamque apud eos vulgatum illud fuit, Da
„ mihi mutuum teſtimonium, vt etiam qui inter
„ illos Græcè neſcirent, hoc tamen loquendi genus

propt

propter conſuetudinem memoria tenerent. Sic licet forum omnium ſcientiarum quaſi quoddam theatrum appellare poſsis, difficile tamen factu ſit ex iis qui pragmatici & procuratores in eo vocātur, aliquem reperire, qui probitatis & fidei gloriam ſit conſecutus. Qui enim contra iuramenti nexum quem rogati apud acta præſtiterunt, iniuſtas cauſas tractant, qui diffiſionibus à iudice petitis in perniciem creditorum, nepotibus & perditis hominibus pecuniarum ſolutiones trahunt, qui in mala clientum cauſa iudicatum non faciūt, qui ſtipulatiunculis & tricis ſuis (vt Varro loquitur) apertiſsima quæque inuolucris obducunt, quam quæſo honeſtatis ſpeciem ad cauſas agendas attuliſſe videantur? Sed vt apud Euripidem Ætheocles in Phœniſsis, ſi ius vnquā violandū eſt, » cauſa regni violari poſſe exiſtimauit, in reliquis » autem pietatem coli debere: ſic & homines illi ieiunia, ſacrorum ritus & celebritates religiosè obſeruant, & piè certe: fidem quoque violari pro ſcelere ponunt, excepta vna cauſa pecuniæ: pro qua etiam ſi Deum & homines non ſint cælaturi, propugnationem omnem non dubitanter ſuſcipiant. Neq; enim tā oderunt infamiā, quàm amāt pecuniam, qua vt de virtute dixerunt philoſophi, nihil eſt illis amabilius, nihil præſtantius. Neque verò ad eos noſtra pertinet oratio, qui vt magiſtratus aliquos inire poſsint, iurati ſe nihil omnino illorum nomine contuliſſe, ex profeſſo in ampliſsima corona iudicum affirmant:

tant

tantum dico, mediocrem ſui homines illos in reliquo honoris curſu expectationē afferre, qui tam flagitioſo ſcelere principia ineundæ dignitatis cōſecrarunt. Quid enim nos de illis ſperare oportebit, qui ſe in ingreſſu præſtantiſsimi magiſtratus nefario ſcelere polluerunt? Itaque non ſit fortaſſe mirum, ſi iudicibus tanta flagitij macula impuris, eiuſdem notæ pragmaticos, & omni periurio infames fortuna adiunxerit. Digni profecto ducibus ſuis adminiſtri.

In ſtatuam Iouis, ex Homero.

Reges ad curam Dei pertinere.



Neſcis in mentem magno quid venit Homero,
Diſcipulos reges dum putat eſſe Iouis.
An quòd eos nulli voluit virtute ſecundos,
Queis ſunt à ſummo credita regna Deo?

NARRATIO PHILOSOPHICA.


GRAVISSIME, vt omnia, Homerus reges & eos qui latè dominantur, Dei immortalis diſcipulos,& velut ex eius ludo ad rerum adminiſtrationem prodeuntes facit:vt omnes intelligant,principes nõ tantum vocatu Dei ad rerum publicarum gubernacula accedere: ſed maximè omnium hominum ad curam & prouidentiam ſummi illius numinis pertinere. Propius enim iudicauit quos ad ampliſsimum dignitatis euexit gradum,iis conſtantiæ, magnanimitatis, cæterarumq́ue omnium virtutum ſeminaria largiter cõferre.Quales enim eos eſſe oportuit, ſine quibus & ſtare reſpublica nequit, & quorum deſcriptione multarum gentiũ moderatio continetur?quod bellè qui præſtiterit, eum diuina quadam vi inſtructum eſſe mihi perſuaſerim. Nam in eo omnium ferè nationum conſenſus fuit, aliquem præ cæteris principatum habere, qui præeſſet, & cui pareretur: quiq́ue legem illam principem quam primum in animis noſtris natura peperiſſet, tueretur: cum qua illi tanta ſimilitudo eſſet,
„ vt verè lex loquens debeat nominari. Quæ enim
„ domus, quæ gens, quæ hominum ſocietas ſine
„ aliquo qui imperet diutius ſplendorem ſuum retinere poteſt? At genus illud imperij quondam ad ſapientiſsimos & ſanctiſsimos quoſque deferebatur: quod & in Repub. Romana valuit quandiu ei Reges præfuerunt. Nam & naturæ ſolertiam imitati homines, ei tantum ad regna aditum

tum patere voluerunt, qui aliqua excellenti virtute cæteris præſtaret, vt eius ſapientia non illi tantùm, verùm & vniuerſæ ciuitati laudi eſſet. Neque verò apud Medos ſolùm, vt ait Herodotus, ſed etiam apud omnes populos iuſtitiæ retinendæ cauſa bene morati reges ſunt conſtituti: nam inopes à potentiſsimis preſsi ad alicuius clientelam ſe conferebant, qui eiuſmodi periculum ab illorum capite depelleret. Vnde euenit vt ciues non grauatè illi obediant, & eum ſumma obſeruantia colant & diligant: quod Charondas ſummus legislator legibus ſuis comprehendit. Platonique ex Titanum genere ſtatuuntur, qui magiſtratuum actionibus aduerſari volunt. Itaque doctiſsimi homines in magnorum principum rebus geſtis memoriæ mandandis voluntario otio occupati, illos tam abundantes vrbanis & bellicis laudibus nobis prodiderunt, vt non tam eos qui aliquando vixiſſent, quàm ſi ab aliquo Deo ficti eſſent, deſcribere viderentur. Quo in genere princeps Xenophon, cùm de Ageſilao hiſtoriam inſtituiſſet, facilè eas omnes laudes quæ de præſtantiſſimo principe dici poſſunt, vno libro complexus eſt. Et multis ante ſæculis Homerus Vlyſſem tot ſapientiæ ornamentis præſtantem facit, vt non tam ille natus, quod cæteris commune eſt, quàm ſummo deorum immortalium beneficio hominibus donatus eſſe videretur. Iam quis noſtrum cum Virgilij libros diuinitus ſcriptos, in quibus ſemper Æneas exprimitur, legit, non

exiſtimat Æneam tantis illis virtutum inſignibus, quaſi de ſchola ſummi Dei inſtructum ad rerum adminiſtrationem proceſsiſſe? Vnde & apud Eſaiã Dominus Cyrum ſuperiorem, Meſsiam & vnctũ ſuum appellat, vt omnibus ſit exploratũ, eos quorum temperatione principatus & imperia tenentur, niſi Dei ſuffragio & gratia in tãtum honorem non venire. Nam his, vt inquit ſapientiſsimus ille
,, Neſtor apud Homerum, Ζεὺς κῦδος ἔδωκεν. Vnde & nonnulli reges ſignis & prodigiis, priuatis hominibus præſtiterunt, & ea geſſerunt ipſi, quæ ad diuinitatem proximè accederent. Nam & Veſpaſianus proconſul Syriæ cùm tumultu militum Imperator eſſet appellatus, homini cæco oculos, & leproſo ſanitatem reſtituiſſe fertur, cùm nuſquam antea de ſe tale quicquã cõcepiſſet. Pyrrhũ quoq; Epirotarum regem hiſtoriæ narrant multos contactu ſanauiſſe. Omitto multa de Chriſtianiſsimis Gallorũ regibus dicere, quæ propter exemplorũ multitudinẽ nobis ſunt notiora: ex quibus omnes ferè populi in grauiſsimis morbis fructus capiunt diuturnos.

Honor debitus.

In diſciplinam temporum.



Fortis equa, ô quoties hederis victricibus vſa,
Norat Olympiacis vincere carceribus.
Huic ſtatua & tumulus poſt vltima fata dicantur,
Et datur in manes debita palma ſuos.
Quin & honoratæ ſtatuunt delubra Dianæ,
Quos poſuit mundi ius dare cardinibus.


NARRATIO PHILOSOPHICA.

VETVS fuit & plena religionis apud maiores beneficij referendi conſuetudo, vt nō tātùm hominū memoriā qui præclarè & fortiter aliquid in republica geſsiſſent, monumentis & trophæis conſecrarent: ſed bruta quoq; animātia, quorū virtute res feliciter eſſet geſta, tumulo & ſtatuis honorarent. In quo Alexāder, mea ſentētia pręſtitit cæteris, qui cum Bucephali equi ſui dexteritate multa belli diſcrimina ſuperaſſet, illi mortuo exequias duxit, & tumulum poſuit, deq; eius nomine poſt Thebarū expugnationē, vrbē ędificauit. Et Plinius author eſt Agrigēti multas pyramides equis locatas eſſe. Par eſt enim eorū memoriā nō perire, quorū ſalus aut vtilis reipublicę fuit, aut cōiūcta certè publicę ſaluti. Iam & equo ſuo dictator Cęſar ſtatuā in æde Veneris genitricis fertur cōſecraſſe, humanis pedibus, qua forma ille fuerat: in quo tanta fuit ſagacitas, vt pręter Cæſarē aliū ſeſſorē admiſerit neminē. Glorioſa ſanè res, & homine nō ingrato digna, per quos aut viceris, aut rem bene & nauiter feceris, eorū hiſtoriā & geſta meminiſſe. Quo in genere Adriano Imperatori ſummo honori fuit Plotina mortua, cuius gratia à Traiano fuerat adoptatus, nouē dies in veſte pulla inceſsiſſe, eiúſq; nomine pro memoria tāti beneficij tēplū dedicaſſe. Nā qui per equā euaſit ὀλυμπιονίκης, & quibus per mulieres licet in ampliſsima dignitate & fortuna eſſe, parū memores & grati videātur, niſi illis gloriam etiā poſt aras cōmunicarint, quorū opera ad tantum honorem aut magiſtratū ſunt producti.

In nor

In normam Lesbiam.

Bonus iudex.



Aſpice vt in partes ſemper tornatilis omnes,
Se ſubiectam operi Lesbia norma facit.
Intus ſæpe latet ſcriptæ ſententia legis,
Quæ ſolet in tota iudicis eſſe manu.
Hanc ille in varijs rerum variare figuris
Debet, non vnum ſemper, idémque ſequi.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

NORMAM Leſbiam non iniuria veteres cæteris prætulerunt, quod ea flexibilis & tenera quocũque duceres facile ſequeretur, ſeque ipſa operi cui adhiberetur, ſcitiſsimè accommodaret. Reliquæ verò hoc ipſo minus cõmendantur, quòd ſi forſan ſint breuiores, neque ad iuſtam operis magnitudinem deduci, neque ſi longiores in anguſtum contrahi poſsint. Quod doctiſsimi homines ad eos qui iuriſdictioni præeſſent pertinere crediderunt, vt hi in hominum controuerſiis explicandis ſe normæ Lesbiæ quàm cæterarum ſimiles eſſe mallent, neque ſemper in omnibus litibus eundem tenerẽt curſum, ſed variè ex perſonis cauſiſque ſtatuerent. Nam ſi is eſſet forenſium cauſarum ſtatus, vt eæ ſemper ad infinitum quoddam genus referri poſſent, eſſet certè in iudicando perfacile ſumma illa capita ſequentem nihil offendere. Sed quia iis rerum & euentorum procellis obruimur, vt in tanta factorum varietate nihil prope alteri ſimile poſsit apparere, rationem habet, vt qui in munere iudicandi verſantur, ad ſpecierum diuerſitatem animos ſuos accommodent. Semper enim iudicantium religioni moderatrix fuit factorum varietas, quique optimè iudicat is maxime omnium in diuerſis opinationibus confidit. » Nam nunquam in ſubſelliis degentibus laudata eſt perpetua in vna ſententia permanſio: ſed » vt corporum differentiis obſequi artis medicorum eſt, etiam ſi is ſit morbus qui talem curatio- » nem non recipiat: ſic plerunque & perſonæ & tem-

poris

ris ratio expoſtulat, vt de conſtituto & perpetuo quodam iure decedamus, atque ea ſequamur, quę remotis circunſtantiis aliquid certè iniquitatis & iniuſtitiæ eſſent habitura. Itaque ſi qui ſunt ex noſtris, qui tantam induſtriæ ſuæ & ſtudiorum fiduciam habent, vt ius illud vniuerſum tractatu & rerum varietate infinitum, primum in genera diducere, deinde in mēbra capere ſe poſſe prædicēt, vereor ne aut quod auribus inculcant noſtris explere nequeant, aut magis oleo & palæſtræ quàm foro & pugnæ inſeruiſſe videantur. Quis enim adhuc ex noſtris hominibus eſt inuentus, qui, etiam ſi ea omnia quæ iuriſconſultorum & magiſtrorum iuris monumentis continentur, memoria ſit complexus, non tamen interdum in iudicando offendat aliquid tale, de quo adhuc nulla rogatio facta eſt? Cui tam feliciter omnia, quæ vel ad maieſtatem imperij, vel priuatorum cautionem pertinent, lecta, audita, diſputata eſſe poſſunt, qui non aliquando in id genus neceſsitate incidat, quod maiores ſui ne cogitatione quidem attigerunt? Quid igitur inſtrumenti & facultatis ad legum iuriſque diſciplinam attuliſſe videatur, qui res tantas in ſummum quoddam genus coegerit, quarū ſcientia magis ſingularium notione quàm ſpecierum diſtributione cenſeatur? Quod ſi quis vel induſtria ſua, vel aſsiduo labore videatur eſſe conſecutus, id tamen aliquando afferet dies, vt opinione poſteritatis contractius rem totam concluſiſſe iudicetur. In quo adhibendi eſſent illi qui ex vmbraculis eruditorum, vſum legum ad pul-

uerem fori clamoremque perduxerunt. Iis enim ſolis verè perſpectum eſſe poteſt, quibus vinculis rerum ſpecies inter ſeſe colligantur, vt ad idem genus reuocari queant. Græculis autem hominibus, & iis qui cum lucem illam fori ferre non poſſent, rerum maximarum notitiam ſpatiis & deambulationibus ſuis ſtatuerunt, difficile factu eſt his de rebus ſcientiſsimè iudicare. Neque enim plurimũ mirationis habet ea quæ ſummo ſtudio foeris meditatus, apud concionem de ſcripto recitare. Sed is mihi videbitur hoc tam præclaro iuriſconſulti nomine dignus eſſe, qui de quæſtione quæcunque ſit propoſita, ſecundum leges, inſtituta maiorũ & ciuitatis iura illuminatè poſsit reſpondere. Qui ſi ius ciuile ad artem & præcepta ſe redacturum prædicet, plurimũ certè apud me & fidei & authoritatis ſit habiturus.

Ad fontem Dodonæ.

In ſibi præſidentes.



Fons in Dodona eſt regi ſacratus Olympi,
Qui ſolet extinctas igne ciere faces,
Accenſæq́; etiam flammas extinguere tedæ.
Hæc eſt diuinæ regula iuſtitiæ.
Nam faſtu elatos cliuum deturbat in imum,
Et primos illis denegat accubitus:
Sed quos ſub tenui nutrit Rhamnuſia tecto,
Hos pleno cornu copia Diâ iuuat.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

FONTEM Ioui ſacrum in Dodona fuiſſe prodidit antiquitas, qui mea quidem ſententia & naturæ ductum, & totius orbis miracula ſuperauit. Nam in eo hanc vim & virtutem fuiſſe accepimus, vt faces extinctas accenderet, & nihilominus ſi accenſę admouerētur, reſtingueret. Quod ſi verum non eſt, ideo à poëtis qui quondam res geſtas ad fabularum inuolucra traduxerunt, effictum eſſe poſſumus ſuſpicari, vt Deum optimum maximum, quem & Hebræi diuinitatis appellatione IOVA, & Chriſtiana etiam ſcripta vitæ fontem dixerunt, nobis velut coloribus ſuis depingerent. Ea enim eſt Domini erga humanum genus ſacris literis teſtata conditio, vt homines rerum felicitate, & fortuna ſecunda exultantes, aduerſa ægritudine, ſuorũ orbitate & rei familiaris iactura coerceat, & tantum illum ſplendorem, quo ſe æqualibus ſuis ſemper præluxiſſe exiſtimabant, quaſi vim flammæ, aquæ multitudine opprimat. Cum iis verò quibus ineſt æquabilitas in omni vita, & idem ſemper vultus, quique in rebus depreſsis animo non franguntur, neque ea expetunt fortunæ adiumenta, in quibus omnia ſunt impotentibus & ignauis viris, benignè & liberaliter agit Dominus, & ſæpiſsime ex ſumma generis obſcuritate ad omnia magna euehit, vt facile cæterorum luminibus obſtruant. Et quemadmodum ſcite à maioribus laus ſequi fugientem dicta eſt, & ſequentem fugere: ita proceſſus rerum maximarum plerunque ab iis quorum ambitionis labore

bore vita retinetur,longo interuallo abeſt:illos verò ſæpe conſequitur,qui nihil vnquam tale animo conceperunt.Qui enim ita ſunt affecti, vt & modico & ſuo contenti ſint,& pauca pateant in eorum vita quæ fortuna feriat, iis ſi aliquid paulò fortunatius acciderit, rem totam domino acceptam ferunt,& eam putant ſibi velut contigiſſe de lucro. At qui opum cupiditate incredibili ſunt incenſi,neque vllum de pecuniis cogitandi tempus intermittunt,ſi qua in re illorum expectationi fortuna reſponderit,beneficium illud aſcribunt diligentiæ ſuæ:& plerunque rerum proſperarum ſucceſſu tam fiunt inſolentes,vt multa ſibi Deum optimum maximum reliquari putent.Et grauiſſima ſanè ſententia apud Eſaiam dominus Aſſyriorum regem increpauit, quòd rerum geſtarum magnitudinem,& præſtantiſsimas victorias priuatis laudum ſuarum rationibus referret,& quaſi hæreditatem gloriæ Dei,& præclarum illud conferendæ victoriæ patrimonium,quod ſemper diuino numini veteres ſapiētes tribuebāt, expilaret. Alio loco etiam regi Babylonis Nabuchodonoſor res non modo aduerſas,ſed planè euerſas prædicit, quòd direpta regia vrbe Ieruſalem ſibi nimiùm præſideret,neque in tanta fortunæ felicitate,& imperatoriis manubiis autorem Deũ citauiſſet. Itaq; mirari deſino regnorum euerſiones,imperia deleta,conquaſſatas prouincias, exercituũ clades, & mirabiles fortunæ caſus, qui patrum noſtrorum memoria in ſummis principatibus contigerunt. Quod enim tribubus Iſrael,& Iudæorum populo,

ſi ſe

ſi ſe à domino volūtate abduxiſſent, per Moſen & Prophetas euenturum prædictum eſt, id etiam reliquis omnibus populis præſignificatum eſſe poſſumus affirmare. Nam quo animo & qua propenſitate Dominum erga eam gentem eſſe oportuit, quæ religionem ſuam omni ſcelere funeſtarat, & conuentus illos iure ſociatos, quæ ciuitates appellantur, inteſtinis cædibus macularat? Quis ergo cū tot in Aſia & Europa florentiſsima regna direpta, & Chriſtianos iis ſedibus pulſos, quas maiorum ſuorum armis & virtute hæreditarias acceperant, cogitatione complectitur, non exiſtimat eos quibuſcum tam crudeliter & ſeuerè actum eſt, iuſtas ſcelerum ſuorum domino pœnas perſoluiſſe. Malè enim ſe res habet, cum ij qui plenioribus officiis à Deo ſunt ornati, tantæ liberalitatis immemores minus ſibi præſtitum putant. Ex quo fit vt rebus turbulentiſsimis, & iam calamitate preſsi, ſerius aliquando ea ſapiant, quæ in ſumma copia longè antè potuiſſent præuidere.

In Rhododaphnem.

Scriptura ſacra gladius anceps.



Nobilis aſpectu folióq; virens Rhododaphne,
Dicitur ægrotis eſſe medela viris:
Tollit & humano conceptum in pectore virus,
Et læſis adfert artubus antidotum:
Bruta tamen folijs animata extinguit eiſdem.
Hæc ſunt ſcripturæ non aliena ſacræ.
Illa pios recta cœli deducit in axem,
Sed nigrum reprobis addere Theta ſolet.
Et licet hac toto nil ſit præſtantius orbe:
In latum errorem noxia corda trahit.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

NIhil eſt vel præſtantius vel melius à Deo optimo maximo hominibus datum, quàm ea diſciplina quæ quondam per Moſen & Prophetas tradita, nuper etiam per Meſsiam domini renouata, tandem ad nos ipſos peruenit. Neque verò Ptolemæus Philadelphus eam bibliothecam, quam tot millibus voluminum inſtructiſsimam faciebat, magis honorari poſſe exiſtimauit, quàm librorum Moſis & Prophetarum acceſsione. Nam cum Eleazaro principe ſacerdotum ſumma contentione per legatos egit, vt nonnullos legis peritiſsimos in Ægyptum mitteret, qui libros illos ex Hebræo in Græcum traducerent. Quod cùm impetraſſet, quanquam nulla religionis ſocietate ad Iudæos pertineret, non minus tamen ex eo ad nationem ſuam dignitatis & ſplendoris, quàm ad bibliothecam ornamenti acceſsiſſe iudicauit. Iam & nonnulli Hebræorum tradiderunt nulla re magis terrarũ orbẽ vnquam decoratũ eſſe, quàm illo ipſo die quo Salomon Ieroſolymorum rex Canticum Canticorum populo deſcriptum & recognitum fecit. Quæ cum ita ſint, miretur opinor quiſpiam illo ſacrarum literarum inſtrumento potuiſſe aliquos in offenſionẽ deduci. Sed vt rhododaphne herba hominibus contra venena prodeſt, & mirificè in curationibus commendatur, bruta autem animantia omnino delet & perimit; ſic literæ illæ ſacræ viros bonos ad virtutem alacriores faciunt, & ab animis bene informatis ægrotationes depellunt: flagitioſos autem & omni ſcelere impuros

ros in ſalutis periculum vocant,&opinionibus
deprauatis omnino labefactant. Nam ſi volumus
vel ab ipſis naſcentis Eccleſiæ cunabulis hæretico
rum memoriam replicare, nullum ex tam multis
reperire poſsis, qui non ſceleratum dogma ſuum
aliquo Euangelij loco firmauerit. Et Mahumetes
quidem ipſe, quamuis legem mirè cum Euangeli
ca noſtra pugnantem ſuis deſcripſerit,nonnulla ta
men ex Euangelio ad impuritates & flagitia ſua
reuocauit,& nefarium dogma ſuum etiam Euan-
gelico diplomate adiuuare conatus eſt. Itaque nõ
abs re illud eſt quod Ariſto Chius dicebat, nocere »
audientibus philoſophos, iis qui bene & ſapien- »
ter dicta male interpretarentur. Quid enim tam »
ſanctè aut præclarè dici poteſt,quod nefariorũ ho
minum ſcelere non deformetnr?Quòd ſi cui nihil
magis in vita propoſitum eſt, quàm vt ſe acerri-
mum veritatis defenſorem eſſe velit, & ſapientũ
iudicio magis quàm ſuo in illis ſcriptis verſetur,
verendum non eſt ne non ex earum literarũ vſu fru
ctus pietatis capiat ſempiternos.Si enim veritatis
ſimplex eſt via, videatur mea ſententia deſipere,
qui eam ad diſputationum laqueos tanquam in a-
liquod verborum piſtrinum compegerit. Sed ta-
men quis Euãgelica noſtra,quamuis nudè ſcripta
legens,non impenſè diuinitatis & rerum maxima
rum cogitatione retinetur?Neq; enim quicquam
lucis ad veri perueſtigationem verborũ faces affe
runt: neque in rebus magnis pertractãdis oratio-
nis impetus iuuat, niſi quo primùm quæſtionis

genere inſtiteris,in eo poſtremùm velis perorare.
" Ac profecto ad nos optimi maximi Dei vox eſt
" profecta,non vt linguas, ſed mentes faceret erudi
" tas. Non igitur ſperandum eſt, vt illis ſacrarum li
terarũ lectio fructuoſa eſſe poſsit,qui,ſi quæ
de religione controuerſia inciderit, ad
interpunctiones & verborum no
tas tanquam ad aram
confugiunt.

In Lamachum ducem.

Seueritas in bello.



Lamachus in bello ſæuus, verſánſque ſecures,
Militibus veniam denegat ille reis.
In caſtris nulli ſit fas peccare ſecundò:
Exitium præſens vnica noxa trahit.


NARRATIO PHILOSOPHICA.

NVLLA re magis imperij & potētiſsimi principatus maieſtatem retineri poſſe maiores cenſuerunt, quàm rei militaris diſciplina: quam qui in caſtris violaſſet, iuſſu Imperatoris capitali pœna plectebatur. Nam & Lamachus iis qui vel leuiſsimè in bello offendiſſent, vltimum ſupplicium conſtituit, neque caſtrorum dignitati conſentaneum eſſe duxit, ſi miles ſecundùm deliquiſſet. Quis enim noxam condonandam putet, qua ſæpiſsimè totius imperij clades & ruina continetur? „Semper autem veteribus Romanis antiquior „caſtrorum diſciplina, quàm ſanguinis & coniun„ctionis fuit: multique apud eos ſunt inuenti, qui vt ius illud militiæ ſanctius tuerentur, ne propriis quidem filiis pepercerunt. Nam & Brutus is qui primus conſul factus eſt, filios ſuos conſiliis reipublicæ aduerſantes cæcidit, & præclariſsimum ciuibus ſuis monumentum reliquit, retinendæ in bello ſeueritatis. Durius etiam Torquatus, qui filiū inſpectante exercitu ſecuri percuſsit, quòd certiſſimæ victoriæ ſpe iniecta, contra edictum ſuum ſigna cum hoſte contuliſſet. qui etſi feliciter dimicaſſet, factum tamen illud propter exemplum pater notandum exiſtimauit. „Semper enim capitale „fuit iniuſſu Imperatoris hoſtem laceſſere. quod qui fecerit, etiam ſi feliciter & proſperè rem gerat, temeritatis tamen ſit arguendus. Atque vtinam iis quos cæleſtis militiæ milites Iuriſconſulti nominârunt, Lamachos duces haberemus: non quòd tanta inter Chriſtianos optanda

da ſit ſeueritas:ſed vt omnibus ſit exploratum, nõ minus in illa vrbana,quàm in armata militia iuſtitiam, cæteraque æqui & boni officia coli debere. Quòd ſi Ethnici in caſtris iterum peccare pro nefario ſcelere habuerunt,quod nos ſacrumcommiſſum eorum iudicabimus, qui ad militiam Dei publico ſtipendio cõducti,& velut oratores ex Euãgelicæ legis commentario dati,pro peccatis populi placabilitatem à Domino deprecantur.Mea certe ſemper ratio fuit, vt belliſsimè cum iis qui aliquo in officio degunt,actum eſſe exiſtimem,ſivel ex prima noxa loco ſuo & dignitate moueantur. Etſi enim vel humana mortalitas, vel etiam clementia ipſa,quę maximè Chriſtianos decet,veniæ locum ſit factura: id tamen dignitati & honori quem gerunt tribuendum eſt, vt nunquam in magiſtratu toleretur,qui illum aliquo flagitiopolluerit.Ex quo opinor illud deſcendit,quod in Canonibus conſtitutum eſt, hominem qui eam quam putabat virginem,cum tamẽ eſſet corrupta, duxerit,illa è viuis erepta non poſſe ſacris ordinibus auſpicari.quod non aliquo illius flagitio recẽptũ eſſe poſſumus interpretari: cùm ignorans, neque delinquere,neq; iure ſuo potuerit excludi: ſed id affert ſacerdotij dignitas,cui niſi omni perfecti & virtutis genere cumulati initiari ex lege prohibentur.

Antronius aſinus.

Animi vires corporis viribus præſtare.



Quẽ ſtupidum ſpectas mirãdo corpore onagrũ,
Venit ab Antronis bellua tarda ſolo:
Huic caput immẽſum, moles quoq; corporis ingẽs
Prædita ſed nullo eſt machina tanta ſale.
Quid præſtãt paſsis immania robora membris,
Si caret eximijs dotibus ingenium?

NARRATIO PHILOSOPHICA.

APVD omnes fere populos robore & corporis forma præſtare, ſemper in laude poſitum eſt: Perſæque quia eos qui naſum aquilinum haberent, ſpecie egregios eſſe exiſtimabant, nuſquam aliquem in regnum admiſerunt, niſi qui ea forma præditus eſſet. Et in ſacris literis Moſes forma præſtantiſsimus perhibetur, quaſi ad tantas illius laudes, quibus facilè reliquis præluxit, hac etiam nota fieret acceſsio. Cùm enim in aliquo corporis partes apta compoſitione membrorum magno cum lepore conſentiunt, ea certe res intuentium approbationem mouet: vnde euenit, vt qui ſe ad ſcribendas ſummorum virorum hiſtorias applicauerunt, pulchritudinem corporis oratione attingant, quòd eam rem etiam in homine laudãdo valere putent. Quod opinor cum ratione dicitur, ſi aptæ illi membrorum compoſitioni mores non aduerſentur. Peſsimè enim ſe res habet, cum in pulcherrimo corpore animi forma non elucet. Vnde „
præclara illa de Neſtore apud Homerum Aga- „
memnonis vox:

Αἰ γὰρ ζεύ τε πάτερ καὶ ἀθηνάιη καὶ ἄπολλον „
Τοιοῦτοι δέκα μοι συμφράδμονες εἶεν ἀχαιῶν „

Vtinam, inquit, ò Iuppiter pater, & Pallas & Apollo, tales mihi decẽm conſiliarij eſſent Achiuorum: neque enim Aiaces decem corporis viribus præſtantes ſibi dari cupiebat, ſed Neſtori ſimiles decem: qui quanquam tum eſſet affecta iam ætate, tamen reliquorum vires & lacertos animi

vi præſtantiſsimi regis teſtimonioſuperabat. Darius quoque ſe malle Zopyrum vnũ habere, quàm centum Babylonas capere prædicabat: neq; enim quondam fortiſsimi illi Imperatores magis armata vi, & validiſsimis copiis, quàm animi conſilio præclariſsimas victorias domum retulerunt. Vnde Fabius Maximus Annibalem Romanorum aris focisq́ue imminentem patientia fregit, quem tamẽ alij ſummis exercitibus non domuerãt. Qui autem ex eo numero ſunt quos antiquitas Iouis filios appellauit: quiq́ue robore & corporis habitu excellentes habentur, neque tamen quicquam tãtarum virium expectatione dignum audent, hos verius Antronios aſinos quàm homines appellamus.

In libram Critolai.

Nihil virtute melius, nihil præſtãtius.



Deſine Tartareis animum oblectare metallis,
Nec refer in trutinam quicquid Erytra parit,
Et prenſatorum ſtulti damnentur honores,
Et iaceat noſtris ambitus ipſe focis:
Sola ſit in pretio virtus, quæ pondere iuſto
Critolai in libra cætera ſola trahit.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

CRITOLAVS nobilis Peripateticæ ſectę philoſophus, cùm Ariſtotelis ſententiæ doctrinæque ſucceſsiſſet, quæ ex tribus bonis ſummam hominis felicitatem conſtare affirmabat, ſic tamẽ rem totam à Stoicorum opinionibus magnopere diſcrepantẽ temperauit, vt animi bonum ex vna libræ parte collocaret, reliqua autem corporis & fortunæ bona in aliam coniiceret. Cùm autem libram in altum ſuſtuliſſet, ea pars quæ virtutem, hoc eſt animi bonum contineret, tanto erat altera depreſsior, vt ſuo pondere facilè terras & maria ſubleuaret. Ex quo, opinione bene iudicantium conſenſus inter Stoicos & Peripateticos efficitur.
» Etſi enim Stoici, virtutem ipſam ſuis præſidiis ad
» bene beatæque viuendum contentam eſſe putauerint, nonnihil tamen corporis & fortunæ bonis, quæ præpoſita aut producta appellabant, tribuerunt. ea enim ſi homini adſint, virtutem ipſam efficiunt pleniorem. Nam neque fortitudinis laus ſine corporis bonis probè elucere poteſt, neque liberalitatis officia aptè retineri, niſi fortunæ bona ſuppeditent. Peripatetici verò quanquam tribus bonis felicitatem concluderent, virtuti tamen reliqua corporis & fortunæ bona proxima, ſed longo interuallo proxima ſtatuerunt: quòd in illis inſit aliquid, quod ſine virtutis comparatione ſpectare poſsis. Nam ea ſi ad honeſti præſtantiſsimas actiones referas, neque ſecundo, neque tertio lo-
» co conſiſtere videantur: Quòd ſi nihil dignũ laude
» iudicari debet, niſi quod eſt perpetuum, non ſit

certe

certè vero conſentaneum,ea in laudandis & valde
appetendis ponere,quæ temporis diuturnitas, vie
ta & caduca ſit effectura.Et imperia quidẽ cedũt,
& regna , & principatuum ſplendor obſcuratur: „
at illud vnum remanet , quod virtute & honeſta- „
tis actionibus perfeceris.Quòd ſi tam virtus om- „
nibus rebus præſtat , vt non tantùm eos æternos „
efficiat in quibus inſit,ſed & ipſa ſit ſempiterna, „
quis non lubens dimicationem omnem pro il- „
lius ornamentis ſuſcipere ſit paratus,vt ei
omnibus modis inſeruiat, quæ non
modo ſibi viuonõ eripietur,
ſed ne mortuo
quidem?

In Herculem adhuc iuuenem.

Inuentus virtuti initianda.



Dum vitã primũ ingreditur Tyrinthius heros,
Valde animi pendens conſtitit in triuio,
Hic via ſe partes coram findebat in ambas,
Quæ dubij excruciant fortia corda ducis:
Vna voluptatis longo latiſsima calle,
Altera virtutis margine clauſa breui.
Sed pius Alcides nulli virtute ſecundus,
Arctum virtutis ſe dedit in gremium.
Scilicet hæc iſta eſt ineuntis ſemita vitæ:
Nam virtus hominem ſola beare poteſt.


NARRATIO PHILOSOPHICA.

HERCVLEM cùm primùm pubeſceret, narrat Xenophon in ſolitudinē exiiſſe, atque ibi ſedentem ſecum diu multumq́ue dubitaſſe, cum duæ illi in oculis viæ verſarentur: vna virtutis, altera voluptatis, vtram ingredi ſibi magis expediret. Is vt erat ad omnia ſumma natus, nullis delitiarum & oblectamentorum illecebris ab illa malorum omnium eſca voluptate affici potuit: tamq́ue ille imperauit ſibi, vt in omni officio ducem virtutem ſequeretur: cuius adiumentis inſtructiſsimus, fortiter & maxima cum gloria etiam vſque ad plaudite actum illum vitæ confecit. Nam peſſimis monſtris quibus itinera tenebantur, terrarum orbem perpurgauit, tantumq́ue domeſticis victoriis gloriæ meruit, vt & ἀλεξίκακος diceretur, & in numerum deorum quos in cælum merita euocauerant, referretur. Poſteritas enim beneficiorum memor, iis qui rerum geſtarum ſplēdore fuiſſent clari, ſemper hoc iudicij & beneuolentiæ tribuit, vt illis definitum in cœlo locum eſſe exiſtimaret, vbi beati æterno æuo cū diis immortalibus fruerētur. Quod igitur Herculi adhuc puero Xenophō cōtigiſſe ſcribit, id etiā adoleſcētes omnes in ſe poſsūt experiri, vt ineūte ætate conſultò deliberent, quos ſe & quales in poſterum eſſe velint. Quæ deliberatio etſi pueris difficilis eſt, res tamen facilè explicabitur, ſi ſe potiſsimum ad id vitæ genus contulerint, in quo virtus maximè eluceſsit: quod iis opinor non arduum fuerit, quibus virtutis gloria à patribus in hæredi-

tatem relinqui ſolet. Natura enim accidit, vt in eo filij ſe maximè exerceant, quod patres impẽsè adamarint. Quibus autem tantum beneficium fortuna non conceſsit, quia ex domo non habẽt quorum facta & dicta cum laude ne meminiſſe quidem poſsint, externas familias in conſilium adhibeant, & eos ipſi ſequantur, qui cum præclara illa ciuitatum gubernatrice virtute, æternam ſibi gloriam pepererunt. Quis enim tã vulgi aut ſuo-
" rum opinionibus obruitur, cui non ſpecies illa
" honeſtatis qualibet voluptate magis enitcat? Et
" certè qui ita ſe gerunt, vt eos vel peccare delectet, etiam ſi nõ ſit cauſa, facile tamen primas dignitati tribuunt, & ſuis ipſi iniuriis miſerrimè crucian-tur.

Ad Salamandram.

In milites.



Imbrifer autumnus vitales addidit auras,
Temperies fecit te Salamandra mori.
Captat opes miles tunc cum furialis Enio
Euocat emeritos ad fera bella duces:
Quòd ſi percuſſa iurentur fœdera porca,
Pauper in exigua deficit ille domo.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

SALAMANDRAM inter cætera animãtia duæ potiſsimum res mirabilem reddiderunt: vna eaque omnibus ferè nota, quòd contra naturæ ordinem in igne áliquo tempore ſine iniuria degat, & in mediis flammis ſpirabilẽ animũ ducat. Altera quòd niſi ſumma tempeſtate & maximis imbribus in vitam ingrediatur: verni autẽ tẽporis ſerenitate deficiat. Cui appoſitè ſimiles videri poſſint ij, qui militiæ ſacramento obſtricti ſub aliquo imperatore ſtipendia faciunt. Nam ſimulatque aliquis nouus motus claſsicum canere cœpit, homines illi ſtudio pugnæ aut prædæ ex vmbraculis ſuis in clamorem, in ſolem, in caſtra erũpunt, atque in ſumma cæterorum calamitate & turbulentiſsimis reipublicæ temporibus, ſoli rem, ſoli quæſtum faciunt: & quaſi ex longa aliquã ægritudine ad aſpiciendam lucem euocati, priſtinam inediam ſolantur, vt propemodum ſolis illis in patriæ luctu & orbitate fortunatiſsimis eſſe liceat. Fortunas curialium ſuorum diripiunt, patrimonia egentium euertunt, ſibi viuunt, agros depopulant, vrbes incendio, ciues cæde, ſundos laſciuia infeſtant: & quod longè miſerrimum eſt, maiore aliquando homines ſuos quàm hoſtes damno afficiunt. Quòd ſi confecto bello proſpera aliqua fortuna otium pacemque inuexerit, videas homines ſe ſibi propemodum immutatos in ſumma paupertate iacere, & quod cæteris vberrimos commodorum &

quiet

quietis fructus affert, id illis & pernicioſum, & inimicũ eſt. Neque tamen velim eorum vtilitates imminuere, qui pericula & hoſtium offenſiones à patrię ceruicibus depellũt, & corporibus ſuis aditum inimicis intercludunt, quoſque maiorũ memoria ius ciuile tot beneficiis honorauit. Sed monendi ſunt polemarchi, & ij quos leges præpoſitos vocant, vt cohortes ſuas rapinis & vi prohibeant, neque eas in amicorum & ſociorum agros excurrere patiantur. Nam ſi tanta fuit apud veteres in re militari religio, vt cum hoſte dimicare fas eſſe non putarent, niſi prius Paterpatratus bellum indixiſſet: cum his iuſtum bellum ſuſceptum poſsit videri, qui & in fide ſunt, quibuſque nullũ bellũ indixeris? niſi fruſtra in bellis cautiones ęquitatis perſcribuntur, quibus promulgatis, vt ait Ennius,

Tollitur è medio ſapientia, vi geritur res.

In equum generoſum.

Ne quid vltra vires.



Conabatur equus domino gratiſsimus eſſe,
Si celer iniuſtum ſponte ſubiret onus:
Verùm vbi ſtans primo veſtigia limine preſsit,
Mergitur ignarus roboris ille ſui.
Dum putat occiduæ mœrens reſpublica Sortis
Luminibus claris Hellados obſtruere:
Et probitate aliis longe præſtantior eſſe
Concidit infœlix pondere victa ſuo.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

MOSES & legum deſcriptione,& exercitus ſummi,quem à Domino acceperat moderatione omnium facilè princeps, infinitas propemodum de ſacrificiorum ritibus & ſacerdotum officio cautiones libro vno eſt complexus. Et quanquam eos quos ſacris obeundis præficiebat,omni virtutis & honeſti forma ex ſententia ſummi Dei excellere debere ſtatueret ,nullumtamen de cœlibatu eorum quos לוים & כהנים ſcriptura appellat, capitulum promulgauit. Iam & multis pòſt ſæculis IESVS, ex legis illius commentario ſe Meſsiam gerens,licet authoratos ſuos ad nouũ quoddam perfecti genus traduceret , partem tamen illam ne attigit quidem. Et Apoſtoli qui eũ in ſermonibus audierant, & cæteri etiam qui poſt eà vocatu Domini illorum diſciplinæ ſe adiunxerunt,quanquam omnem pro ornamentis legis dimicationem ſuſciperent, neque quicquam illis deeſſe videretur,quod cùm virtutis actionibus coniunctum eſſet,nihil tamen in eo genere edixerunt. Qua in diſciplina & poſteri qui ſe ad eandem religionem contulerant , longo tempore vſque ad concilium Nicenum ſine controuerſia conſtiterunt. Quò cùm ex omnibus nationibus epiſcopi frequentes conueniſſent, viſum eſt & clericorum muneri maximè conſentaneum,& à dignitate concilij non abhorrens,ſi nouo exemplo de cælibatu ſacerdotum ad cõciliũ referretur. Cumque omnibus ferè ſententias rogatis,eò iã propendere conuentus videretur, vt cælibatũ in Eccleſiã indu

ceret, inuentus eſt Phanutius quidam, qui grauiſsima ſententia dicta à concilio impetrauit, vt ea res ſingulorum voluntati donaretur. neque enim exiſtimabat eorum pietatem, qui etiam ſi id ſtatutum non ſit, præſtare eſſent parati, lege lata minuendam: illos autē quos ad id incitari poſſe diffidebat, cogi fas eſſe non arbitrabatur. Cuius ſententiæ tantùm valuit authoritas, vt eo conſilio in clerum nihil noui ſit conſtitutum. Pòſt verò ſedente Caliſto pontifice, cùm quodammodo à præſtantia & ordine cleri alienum eſſe videretur, non aliqua perfecti ſignificatione ſacrificos homines prophanis prælucere, flagitante occidentali Eccleſia de cælibatu ſacerdotum nouum decretum perſcriptum eſt: quod etſi ſacerdotibus Græcis non placuiſſet, tamen ad hæc vſque tempora noſtri homines conſtans & perpetuum eſſe voluerunt. Cui licet præſtantes viri & pontificiæ libertatis acerrimi vindices ſint aduerſati, optandum eſt tamen vt qui id vitæ genus arripuerunt, in eo piè & ſanctè verſentur, neque tantæ pietatis ſcitum, ſordibus & illa imitatrice boni voluptate adulterent. Quid enim in ſacerdotio tam ſplendidum aut tam præclarum eſſe poteſt, quod iſtis ſordibus non obſcuretur? Iam qui primi continētiæ legem in eccleſiam inuexerunt, eò potiſsimum ſpectabant, vt clericos ſuos rerum diuinarum imitatione Deo propiores facerent. Qui autem publicis ſtupris ſacerdotia dehoneſtant ſua, non video in quo concilij ſententiam aſſequi poſsint. Quòd ſi matrimonij negotiis implicari, & ordini, &

hi & maieſtati clericorum conueniens non eſt, non erit opinor ferendum, tantam dignitatem in luce omnium nefario ſcelere deformatam iacere. ſunt enim homines qui in rebus contrariis parum ſibi conſtant, matrimonium ſeuerisſimè fugiant, in omnibus autem voluptatibus & ſtupris videãtur molliores. Ac ſane non eſt conſentaneum aliquos eſſe, qui quæ in aliorum facultate ſunt poſita, ſibi licere nolint: quæ verò ſunt & flagitioſa & vetita ſibi omnino concedant. Itaque monendi ſunt ij quibus Eccleſiæ dignitas & ſalus periucunda eſſe debet, vt eos clericos qui de concubinatu & aliis ſceleribus rei peragentur, quia virtutis ſpecie in officio retinere nequeunt, legum ſeueritate à noxis reprimant, & pœna conciliorum coërceant. Abſurdum eſt enim, vt qui vulgo & leuiter doctis in exemplum ſunt poſiti, illis peccandi illecebram afferant. Quòd ſi olim quæ Veſtę ſacerdotes nominabantur, ſi qua illis violatæ pudicitiæ labes inuri poſſet, tantas pontifici maximo pœnas dabant, vt viuæ in terra ex lege defoderẽtur: quæ iis afferri poterit iniuſta nex qui Dei ſummi & æterni ſacerdotes dicti, contra Euangelica præcepta, maiorum inſtituta, & diſciplinam temporũ ſacra ſua nomine impudicitiæ cõſcelerato labefactant?

Ad ſtatuam Bacchi.

In πολυσάρκους iudices, pretio poſitos.



Bacche pater, iudex apiana inſignis in vua,
Patritios inter dinumerate ſenes:
Diſce coronatis medicè crateribus vti,
Non eſt in multo mens bene docta mero.

ALIVD.

Pampineis Lenæe pater redimite corollis,
Faſcia cui longum cingit odora caput:
Cui philira intextæ præcingunt tempora vittæ,
Inficit & rubeas vua Falerna genas:
Cuique graui exundat pẽdẽs abdomine vẽter,
Iureque lætitiæ diceris eſſe dator:
Quæ te adlegerunt noſtris ſuffragia roſtris?
Quæ tibi in orcheſtra fata dedere locum?
Quæ vota in noſtrum te conſcripſere ſenatum?
Vnde tibi latus clauus, & vnde toga?
Te iurata latent ſancti conſulta ſenatus,
Te legum & iuris pagina ſacra fugit:
Quid diſtent noſti cellis Chia vina Falernis;
Ergo tibi vitæ ſit ſtatus ille tuæ.
An te patritium regina pecunia fecit?
Illa magiſtratus vna creare poteſt:
Noſtra quoque ignauis ſubſellia cõplet onagris,
Et queritur populus iura deeſſe ſibi.
Ecce igitur ſtomachans rubricã tendit Apelles,
Ne ſutor ſoleas egrediare tuas.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

SEMELES filium non ſolùm noua vinearum deſcriptione,ſed & Africæ Aſiæque triumphis clarum Indi apud Nyſam,beneficiorum memores in templis ſuis,deinde & noſtri in ſubſelliis locauerunt:in quo quanquam ea corporis forma eluceat,quæ procul ab omni ſtudiorum contentione nullam ſcientiæ doctrinæque ſignificationem habet, credendum eſt tamen illi aut pecunia, aut gratioſorum ſuffragiis, tantum dignitatis gradũ inter ſuos obtigiſſe.Cui enim plus palatum quàm cerebrum ſapit,cui in immanibus poculis & epulari conuiuatione omnia ſunt, qui iuris ſorbendi magis quàm dicendi peritus eſt,qui denique nullũ ſcientię genus cognitione attigit,is aliqua ſua excellenti virtute, aut priuatis in remp. benefactis tantum in ſenatu locum videatur eſſe conſecutus? Quòd ſi aliquis noſtrum forte miretur,quo tandem modo eiuſmodi homines eum vitæ curſum tenere potuerint,vt tandiu nullo aduerſante munus illud tueri poſſent:eſt certè quòd miretur magis,aliquos ex eo numero eſſe inuentos, qui forte lites & controuerſias longo tempore terminarent: quibus ſi impunè nullo vſu, nulla ſubiecta ſcientia in illis honoribus verſari licuit, quæ tanta in obæſis & bardis hominibus impeditio eſt, quo minus eas munerum renuntiationes quas per coëmptionem ęre & libra factam ſibi parauerunt, obire poſsint? Nam cur reddendi iuris neceſsitatem pretio non proſcribant,quam ſumma pecunia ſibi prenſauerũt?Cur eas leges in officij administra

niſtratione diligenter colant, quæ ſi fuiſſent obſeruatæ, in magiſtratu illo nunquam eſſent deſignati? Neque verò in litibus finiendis ius conſiliariũ coguntur adhibere, in quo illi nihil operæ & laboris poſuerunt. Si enim antiquitus antequam vllæ populis leges eſſent deſcriptæ, qui ſententias ferebant, bene ad æquitatem, & ad litigantium leuationem appoſitè putantur iudicaſſe, cur non iſti homines principem illam naturæ legem ſequentes, optimè rem quæcunque in quæſtionem cadet poterunt explicare?

In rabulas & operarios lingua celeri.

Parcè & ad clepſydram loquendum.



Oranti clepſydra modum præſcribit, & hora
Declamatorem fixa tacere iubet:
Sedula ponatur celeri cuſtodia linguæ,
Sæpe loqui nocuit, ſed tacuiſſe iuuat.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

PRoclamatores & rabulæ de foro quos λογοδαιδάλους, & artifices ſermonis Plato vocat, plurimum ſe facultatis ad iudicia afferre putant ſi eas cauſas quæ ab æquitatis rationibus longè ſunt poſitæ, verborum vel inanium ſtrepitu, & quodam quaſi ſono apud iudices tueantur. In quo non vident homines veteratores id natura partum eſſe, vt quò res aliqua à veritate & æquo & bono longiùs abſit, hoc dicendo & eloquendo magis ſordeat & inquinetur. Quis enim verborum impetus, quis ſplendor orationis tantus eſſe poteſt (niſi penitus apud homines inſipientiſsimos ſit dicendum) qui iniuſtitiam ad præſidium æquitatis deducere, aut impurum aliquod facinus adumbratione honeſtatis poſsit prætexere? Vnde & vetus mos ille fuit ad clepſydram declamandi, ne longius extra penſum munúſque ſuum oratores excurrerent. Quo in genere qui offendiſſent, pœna pro ſedentis arbitratu multabantur. Ex quo & illud profectum eſt, bos, ,,
ſuper linguam. Iam verò, vt Cicero author eſt, ,,
ætate ſua ampliſsimus ille ordo iudicum tantum apud exteras nationes, ob iudiciorum corruptelã inuidiæ contraxerat, vt ei qui eloquentiſsimum & fortem ad reſiſtendum oratorem, aut etiam pecuniæ ſubſidia maxima haberet, cauſa caderenõ liceret. Itaque referente Pompeio lex lata eſt, vt is cui ad agendum poteſtas facta eſſet, ternis

horis

horis cauſam peroraret. Nã ſi veritas vna in iudiciis dominari debet, amputanda eſt illa verborum luxuries, quæ ſe magis & magis profundit. Et profecto pręclariſsimũ fortitudinis & libertatis teſtimonium ab omnibus Græcis Vlyſsi redditum eſt, quòd Therſitem in concione liberius agentem, & quaſdam veluti verborum faces Agamemnoni admouentem dicendo repreſsiſſet, & hominis importuniſsimi loquacitatem præſenti iracundia retardaſſet,

μὴ δ' ἔτι, inquit ille apud Homerũ, *τηλεμάχοιο πά-* »
τηρ κεκλημένος εἴην
Εἰ μὴ ἐγώ σε λαβὼν, ἀπὸ μὲν φίλα εἵματα δύσω »
Χλαινάν τ' ἠδὲ χιτῶνα, τά τ' αἰδῶ ἀμφικαλύπτει »
Αὐτὸν δὲ κλαίοντα θοὰς ἐπὶ νῆας ἀφήσω »
Πεπληγὼς ἀγορῆθεν ἀεικέσσι πληγῆσιν. »

Neque enm ferendi ſunt illi qui ex conuiciandi licentia, & flumine orationis in cauſis agendis gratiam & momenta aucupantur, aut cum cauſæ ſuę iudices parum propitios ſenſerint, dicendo diem eximunt.

In ſimulachrum deæ Ageniorӕ.

Silentium.



Qui nequis ind mitæ præbere repagula linguæ
Et futilem multo ſcommate vincis anum,
Quíque tui demens prodis conſulta ſenatus,
Si ſapis à noſtra diſce tacere dea.


NARRATIO PHILOSOPHICA.

AGENIORAM ſilentij deam veteres ſumma obſeruantia in templis ſuis coluerunt. illam enim rerum cælandarum gloriam tantæ dignationis eſſe ſunt arbitrati, vt eam numinis alicuius præſidio & tutela conſecrarent. Quo in genere tãta in Pythagora valuit religio, vt diſcipulos ſuos potius tacere quàm loqui doceret: neque quenquam pro diſcipulo agnoſceret, niſi qui quinquennium tacuiſſet. Quis enim probè loqui poteſt niſi diu multumque ſiluerit? Vnde & extat
» vetus illud, ſemper eſſe tacendum niſi cum taci-
» turnitas nocet. Et Cneus Pompeius cum piratico bello à Gẽtio rege interceptus, ſecreta populi Romani proferre iuberetur, digito ardenti lucernæ
» admoto conſtantiſsimè renuit, inquiens, ſe potius
» eiuſmodi cruciatu vitam, quam ſenatus ſecreta
» profuſurum. Metellus quoque tam ſanctè laudem illam coluit, vt ſe non dubitanter veſtem incenſurum affirmaret, ſi eam ſuorum conſiliorum participem eſſe poſſet ſuſpicari. Iam & Romani, iuuenes ſuffragio & ſenatus ingreſſu prohibuerunt, quòd ætas illa ad detegenda ſenatus acta inuitare videretur. Quo magis nõnullos miror qui apud nos conſiliorum in republica ſocij ampliſsimas dignitates gerunt, iuſiurandum illud quod magiſtratum ſuum primùm ineuntes præſtiterunt, tam parui facere, vt ei parti cui officioſi eſſe volunt, collegarum ſententias & ſenatus propenſitatem renuntient. Quod etſi decretis principalibus ſatis prohibitum eſt, eo tamen eſt deteſtabilius quòd is cuius

cuius res agitur de ſenatus voluntate certior factus, id contendit, vt eos quos ſibi in eo ordine aduerſantes cognouerit, de ſententia deducat, & quacunque ratione cauſæ adiungat ſuæ: qui ſi nullum tot precibus & concurſationi ſuæ locum relictum eſſe videt, illos pecunia & gratia non deſinit oppugnare. In quo admonendi ſunt, ne priuatas neceſsitudines & amicitias ſenatus grauitati, dignitati ordinis & iudicandi religioni anteponãt: néve committant, vt eos quibus hoc officij præſtiterunt, aliquando facti ſui inſectatores habeãt.

Dorica muſa.

In iudices δωροφάγους, quibus plus placent libelli ferentarij quàm ſupplices.



Si cupis eſſe ſabas, populo ſuffragia vendens,
Et ſi ſola tibi Dorica muſa placet:
Iam procul à noſtro demens abſcede ſenatu,
Non ſunt naturæ commoda veſtra tuæ.
Quî poterit recto ſententia cedere talo,
Alter ſi dederit fercula multa cliens?

NARRATIO PHILOSOPHICA.

QVEMADMODVM ex fœminarum genere quaſdam prodidit vetuſtas manus habere oculatas, neque quicquam credere, niſi quod & videant & pertingant: ita certè quoddam eſt hominum genus, cui iuſtiùs natura oculos in manibus quàm in fronte locauiſſet. Iis tanta eſt in tactu ſagacitas, vt niſi eo ſenſu moueantur nunquam. Hos Homerus antiquiſsimus poeta δωροβόρους vocat, quòd in ſummis magiſtratibus obeúdis & paſſim, & omnia, & ab omnibus acciperent, & facile quo ſe cunque verteret pecunia ſequerentur. Qui igitur ita ſe gerunt vt & religionem, fidemq́ue ſuã & quod in dignitatibus elucet maximè, cupiditate ſua abducant ad mercedem, cumulatius opinor rem feciſſent ſi ſe vel argentariæ, vel mercaturæ quò eorum natura propenſitate quadam ferebatur, dedidiſſent. Nam quid eum ex iis artibus quæ fructuoſæ eſſe ſolent, ſperare oportebat, qui ex re à lucro & commodis ſeparata vtilitatem & fructum capit? Sed tamen tãta eſt in nonnullis hominibus cupiditatis ſitis, tanta in facienda pecunia incitatio, vt illos nulla res ſine lucro effugiat. In gerenda republica priuatis commodis inſeruiunt, ſacras illationes fœnerantur, pupilli opes & pecuniam ad domeſticam rationem & vſuram conferunt, Eccleſiaſtici patrimonij reliqua calendario ſuo aſcribunt, denique ita viuunt vt nullam vitam ſine lucro eſſe exiſtiment. Quibus muſa Dorica probatur ſolùm, ad cæterorum autem modorum concentum aures omnino illis obſurduerunt. Et

quemadmodum Veſpaſianus etiam ex lotio vectigal non recuſauit, ita illi ex hominum facinoribus & turpitudine dona accipiunt, neque quicquam ſordidum eſſe putant, ſi modo vtilitatem habeat. Bene igitur maiores, qui vt à publicis muneribus cupiditatem remouerent, contra eos magiſtratus qui in minimam auaritiæ ſuſpicionẽ veniſſent, grauiſsimas quæſtiones habuerunt: nefas eſſe iudicantes, illos quorum deſcriptione populus & melior & locupletior fieri deberet, popularium fortunis inſidiari, & aliquo tenuioribus hominibus oneri aut damno eſſe. Neque enim firmius rempublicam ſtare poſſe putauerunt, quàm ſi infimi homines ſine aliqua offenſione & iniuria inter principes ciues verſarẽtur. Iam & magiſtratus petituri, liberalitate & ludorum magnificentia populum ſibi adiungebant: nõnulliſque Ædilitatis prætermiſsio, in Prætura & Conſulatu repulſam attulit. Tantum enim in bene morata ciuitate ratio valuit, vt non tantùm qui populo præerant ab eo nihil exigerent, ſed etiam quibuſcunque officiis & congiariis in amicitia retinerẽt. Ad quod etiam & diuina monumenta nos ipſos exuſcitant, vt pupillos viduas & exteros obſequio aliquo demereamur, & illis ad omnem meritorum rationẽ parati ſimus. Quibus Iuſtinianus Imperator tantùm iudicij & beneuolentiæ detulit, vt illis ſe velut ſpecialem iudicem daret, & eorum cauſas in auditorium ſuum induci à ſua maieſtate minime alienum iudicaret. Qui autem nihil aliud agunt,
quàm

quàm vt ex popularium fortunis fiant ditiores, & qui in reis abſoluendis vel damnandis venalitiariam vitam faciunt, his certe ad ea munera in quibus degunt, nihil opis eſſe poteſt.

In friuolarium emptorem. Ex Diogene.

Homines oratio probat non veſtis.



Explorat Samium tinnitibus emptor ahenum,
Et probat elicito friuola vaſa ſono.
Sed nos diuitijs homines vtcunque probamus,
Cùm vox ipſa paret certius indicium.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

QVI vaſa figlina à friuolariis emũt,ne poſteà contractis rebus cognitionem ab Ædilibus cogantur impetrare,ea tinnitu probãt,&explorãt atq; eo iudicio,vẽditoris more improbato in cælãdo rei vitio verſantis calliditatẽ effugiunt.Quorum prudentiam vtinam imitarẽtur illi, qui quaſi iurati de hominis dignitate iudiciũ ferunt. Quæ res ſi hodie in diſceptationem cadat, non ad orationem, qua vna animantibus brutis præſtamus, ſed ad veſtem & patrimonium omnis mediuſſidius oculorum coniectus eſſe ſolet. Quis enim eũ non egregium ciuem eſſe cenſet,quis ei non de via decedit,ſi modo opibus antecellat?Quis non eum aditu,ſuffragio,congreſſu dignum eſſe putat, cui ſunt amplæ facultates domi? Quis nõ illi locuples dignitatis teſtimonium reddit, ſi diuitiis & clientelis antecedat? In emendis igitur friuolis ſuis ſonum &tinnitum negotiatores explorabunt:homines autem quibus ſapientiæ & maximarũ rerum cognitionis partes à natura attributæ ſunt, quantùm ſapientia homo alteri in loquendo præſtet, non videbunt?Cycnea certè illa,& planè regia Alexãdri ad Diogenem vox,niſi(inquit)Alexander „ eſſem,Diogenes eſſe vellem.Sed fortaſſe alter me- „ lius, qui ſapientem nulli hominum concedere, „ vno autem Ioue minorem eſſe prædicauit. Nam „ ſapientia ipſa tam radices agit & propagatur, vt „ etiam poſt aras, hominem conſequatur. At ea quæ corporis & fortunæ bona appellantur celeriter decidunt, multoſque in medio ætatis flexu

omnes autem poſt mortem æquabiliter deſerunt.
,, Et quemadmodum Cato dicere ſolebat, magno-
,, pere mirari ſe quomodo non rideret aruſpex, aru-
,, ſpicem cum vidiſſet. Sic fortaſſe non iniuria ſit mirandum, cur qui opibus & fortunæ proſperitate mirabiliter excellit non rideat, cum homini iiſdẽ rebus perquam abundanti occurrerit. Nam ſicut qui in fabulis perſonam agunt, propter nouitatem veſtis quæ ſubito ſit deſerenda, quibus in via pro ceſſerint riſum mouent: ſic homines potentiſsimi faſcibus & barbarorum cuſtodia ſtipati, Heraclitis miſerationem, Democritis fortaſſe riſum moueant, quòd confecto iſto vitæ actu nulla re iis qui è fece populi ſunt ſuperiores appareant.

In amicitiam ſimulatam.

Ex Diogene.



Implicitis dextrã digitis qui præbet amico,
Hũc fuge: nã nihil hic quod redametur habet
Non fronte aut vultu fidus cẽſetur amicus,
Verus enim à ſummo pectore manat amor.

Simile ex Plauto.

Qui dextra oſtentat panẽ, lapidémque ſiniſtra
Occulit, incertæ ſponſor amicitiæ,
Et qui ſynceri vultum mentitur amici,
Cymmerias ſeſe conferat in tenebras.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

HOMERVS infeſtiſsimos ſibi & quaſi ex furiarum genere ſtatuebat eos,qui aliud in pectore gererent,aliud verò in promptu & haberent & loquerentur. Tales Plautus veteris comœdiæ
" author facetiſsimus dextra panem porrigere, ſini
" ſtra autem lapidem occultare dixit:quòd eos quorum ſe cupidiſsimos & amantiſsimos eſſe teſtatò prædicarent,remotis arbitris inceſſerent. quæ res mea ſententia tam ipſi amicitiæ pugnat, quàm quæ maximè.vereque illud dicitur,nullam in amicitia peſtem eſſe maiorem ſimulatione & blanditiis:pernicioſaque eſt hominum aſſentatio omnia ad voluntatem, nihil ad veritatem loquentium.
" Nam ſi amicitiam Pythagoras æqualitatem eſſe
" dixit,& cum vnus animus fieret ex pluribus, qua tandem ratione ius illa ſuum tuebitur, ſi alterius animus ſit lubricus,varius & multiplex. Qui igitur blanditiis in aures noſtras influunt, nulla autem re eorũ animus ad beneuolẽtiæ actiones adduci poteſt:taliũ amicitias nõ diſſuẽdas, ſed penitus diſcindẽdas eſſe arbitror.Neq; enim amicitiæ laudem ferre poteſt, qui præſtantiſsimã illam de homine bene merẽdi rationem, qua nihil eſt naturæ hominis accommodatius,metitur cupiditate & commodis ſuis.benéq; Diogenes monebat, vt ab iis omnino caueremus,qui dextrã in pugnũ cõtractam amicis præbent, alteram autem manum ſub pallio occultant. Neque enim ex geſtu fides ipſa perſpi

perſpicitur:ſed qui in eo ſunt, vt ſibi aliquem amicitia adiungendum putent, hoc in primis præceptum tenere debent, vt nulla re amicitiam inferiorem conſtituant, neque quicquam prætermittant, quod ad officium beneuolentiæ pertineat. Quo in genere beneficentię cautiones erunt adhibendæ, quæ iubent ei plus eſſe conferendum, qui nobis conſanguinitate eſt proximior. Quæ qui cum ratione faciet, non video in quo vxoris, aut filiorum accuſationem reformidare poſsit. Odioſum eſt enim cùm à filiis parentis largitoris honeſta liberalitas in inuidiam & crimen prodigentiæ vocatur. quaſi verò paternæ glorię hęreditas quolibet patrimonio filiis non ſit magis appetenda: neque enim tantum filiorum charitati tribuendum eſt, vt aliqua vitæ noſtræ pars officio vacet.

Exemplum leuitatis

In Leguleios qui doctores iuris cōtēnūt.



Scripta magiſtrorũ iuris qui negligis, & quem
Conciſi textus lectio nuda iuuat:
Et calamiſtratæ quæris tectoria linguæ,
Verbáque rhetoricis vermiculata modis:
Et tantum ſcripto laudas in iure leporem:
Anne poteſt ſimilis moribus eſſe tuis,
Qui vim ſanandi medicatis ſpernit in herbis?
Quemque meri ſolum mulcet odoris amor?

NARRATIO PHILOSOPHICA.

QVI ea quæ quondam à principibus illis iuriſconſultis acceperant,& vberius & cumulatius libris tradiderunt, hoc forſitan nonnullis probantur minus,quòd ciuilem diſciplinam quibuſdam quaſi verborum ſtellis illuſtratam, nullo ornatu,nullo orationis flore,& ſæpiſsimè verbis putidis & nouatis poſteritati mandauerunt. Quibus temporum illorum vitia,meo iudicio,ad veniam ſunt ſuffragatura.Quid enim facultatis ad ius ciuile pertractandum ſit allaturus, qui doctorum penuria eloquentiam ipſam attingere non potuit?His opinor ſi ætate noſtra naſci contigiſſet,eos forſitan omni eloquentiæ laude ſuperaſſent , qui illorum ſcriptionem totam tanquam horridam & hiulcam faſtidiunt. Et ſi enim (vt Cicero author eſt) prodere quenquam literis cogitationes ſuas, nec eas diſponere, & illuſtrare dicendo , nec delectatione aliqua permouere lectorem , hominis eſt intemperanter abutentis & otio & literis : eorum tamen inſtitutum minime contempſerim,qui neglectis verborũ ornamẽtis,totos ſe ad rerum pondera & momenta contulerunt.Neq; verò tã me aliquorũ quotidiana ſine vſu loquacitas,aut de ſcholis cantilena mouet, vt illorũ furioſum dicẽdi genus nulla ſubiecta ſentẽtia aut doctrina, aliorum monumentis anteponam, qui res magnas nulla adhibita orationis copia,ſcientiſsimè & ex arte tractauerunt.Quid enim tam ſtultum, aut infantiæ ſimile eſſe poteſt quàm impetu orationis ferri , & quaſdam veluti

luti verborum faces admouere,nulla propoſita re & quæſtione. Verbi enim controuerſia ſolùm eos in ſcholis torquet,contentionis cupidiores quàm veritatis:neque quicquam laudant, niſi quod ſe poſſe ſperant imitari. Dicunt in gymnaſiiis ſuis apud bonos quidem viros,ſed in iure ciuili forſitã non ſatis exercitatos: faciunt clamores in ſcena, plauſus in theatro,veteres illos magiſtros iuris ad certamen vocant. ſed perfacile eſt vincere, & mortuos & non repugnantes. Eorum libros parũ ornatè conſcriptos de gentilitate iuris omnino dimittendos eſſe cenſent:in quibus legendis nihil otij, nihil operæ poſuerunt. Et quemamodum philoſophiam & eloquentiam, cæteraſque artes quæ libero homine dignæ ſunt, ſermonibus Socratis coniunctiſsimas, quorundam illius ſequacium inertia ſeparauit:ita & nonnulli hodie ſunt, qui in humanioribus literis voluntate feriati,quia rerum tantarum quæ apud recentiores iuriſconſultos recitantur,varietatem & copiam comprehendere ſe poſſe non confidunt, ſcientiam illam quidem,ſi non difficilem, at vaſtã & diffuſam remouent, in ſolo autem Iuriſconſulti nomine acquieſcunt. Quòd ſi tantùm ſibi ſumunt, vt iuris ſcientiam veterum librorum cancellis circunſcribant,neque quicquam in diſceptationem cadere poſſe exiſtiment,quod non veteribus illis legibus explicari queat:habebunt certè me & beneuolum & non aduerſantẽ.neq; enim arbitror tantæ induſtriæ præcludenda via eſt. Sed alia ratio eſt palæſtræ & olei,alia pulueris & fori.Qui enim de ſuggeſtu

geſtu dicunt, illis iuris ciuilis termini latiſsimè videntur propagari, quòd de clauſula ſcientiæ ſuæ nunquam diſcedant. Qui autem in ciuitate iuriſconſulti nominantur, ſéque de quacunque propoſita quæſtione ſcientiſsimè reſponſuros profitentur, facilè cognorunt quantis in anguſtiis ciuilis verſetur diſciplina. Quòd ſi illos adducimus, vt hoc ſibi perſuadeant, habebunt certè & ſplendoris & commendationis plurimùm, ſi forenſes controuerſias quarum deciſio à legibus peti nequit, propria animi vi cum ratione definiant. Plerunque autem accidunt forenſes controuerſiæ, quæ nulla ſocietate & ſimilitudine ad legem aliquam videantur pertinere: facilè tamen eadem illa lege hominē ſponte ſequentē in ſententiā tuam adduxeris. Quo in genere recentiores iuriſconſulti mea quidem ſententia principes fuerunt, vt quod ex vna lege effici non poſſe iudicabant, id multis locis & inductionibus comprobarent. Etſi enim ſua cuiuſque eſt in reſpondendo exiſtimatio, fatendum eſt tamen ad eam rem cum dignitate præſtandam ſumma nobis ex eorum libris adiumenta data eſſe. Quòd ſi aliquem ex leguleis iſtis in conſilium adhibuero, aut ſi me repugnantem offenderit, non ſit vltra progreſſurus, aut ſi non difficilem, hoc ſibi debebit perſuadere, me rem totam non magis arti quàm illius authoritati permiſiſſe. ex quo fit, vt quod in maioribus non comprobant, illud ipſum in iuriſprudentiàm conentur inducere.

In Caſtorem & Pollucem.

Amicitia fratrum.



In cælo nunquam regnat cum Caſtore Pollux,
Alternáſque tenent Sydera clara vices.
Occiderat Caſtor, ſed fratris grata voluntas,
Dimidium vitæ iuſsit habere ſuæ.
Sic pietas & ſancta fides, ſic gratia concors
Fortunas voluit fratribus eſſe pares.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

PRAECLARISSIMVM fraternæ amicitiæ monimẽtũ veteres in cœlo ſtatuerũt, vt homines qui terrã incolũt cœleſtia ipſa cõtẽplati, aſtrorũ cõuenientiã ordinemq́; imitarẽtur vitæ modo atque conſtantia. Nam Tyndaridæ fratres, quorum aſtra in cœlo videmus victoriis triumphisq́; terra & mari nobiles, tam ſanctè & piè ſocietatis & ſanguinis iura inter ſeſe coluerunt, vt poëtas tantæ pietatis teſtes ſempiternos relinquerent, tantumq́ue coniunctione illa ſibi gloriæ pararẽt, vt ea totius orbis teſtimonio in poſterum comprobaretur. Igitur Caſtori iam defuncto, Pollux immortalitatem ſuam officiosè communicauit, & vt fratri nouo obſequio gratificaretur, alternis diebus mori non defugit. Itaque ex geminis ſemper occidente vno illucet alter, & vtriſque par penè viuẽdi ratio eſt, & ſocietas. Quod exẽplũ ad retinendã inter fratres amicitiã & communitatẽ nõ mediocriter valere debet. Nã quid ad familiæ dignitatem præſtantius, quid ad amplificationem patrimonij aptius, quid porrò eſt legi Chriſtianæ magis conſentaneum, quàm fratribus perpetuam in omnibus æqualitatẽ eſſe? Vt enim florẽtiſsima quondam imperia ciuilibus ſuis diſſenſionibus & inteſtinis bellis conciderunt: ita & cuiuſque familiæ ſplendor fratrum inimicitiis omnino obſcuratur: neque diutius ſtare domus poteſt, quæ diſcrepantibus hominum ſententiis tanquam procellis huc illuc impellitur & iactatur. Sunt autem quidam homines in domeſti-

cor

corum offenſionibus per quam moderati,iidem ne minimam quidem patrimonij iacturam pro amicitia facere volunt:in quo ſi quod damnum acceperint,voluntarias inimicitias in ſuos nō dubitanter ſuſcipiant.Tandiu enim ſibi tuendos amicos volunt,quandiu ſibi de patrimonio ſuo nihil decedat.Apud eos honorificè & cum magna conſanguinitatis teſtificatione appellari, iudicatur fratris eſſe loco: prenſare dexteras, ſeque mutuò & amicè cōplecti, & cœnam vltro citroque condicere,non vulgare pietatis & fraternæ amicitiæ putatur indicium:quòd ſi rationibus tuis afflictis ab eis tenuitatē tuā aliqua re credita leuari velis, in eo genere tibi adiumento eſſe,nō exiſtimāt neq; ad ſanguinis neq; ad amicitiæ rationē pertinere. Tales certe qui ſunt nō modo nō cōſanguineos & amicos,ſed ne homines quidē in tāta inhumanitate eſſe putē:Chriſtianos minus,qui ne publicanis & ethnicis pietate & iuſtitia pares eſſe poſsint: quorū opibus & ſubſidiis (vt teſtatur Dominus) amici & proximi in infirmitate ſuſtentantur.Itaq; his ne videatur ſubiratus,

Mane edictum (vt ait Perſius) poſt prādia Callirhoē do.

Cor ne edito. Ex ſymbolis Pythagoræ.

In noſtros, quibus Chriſtianos homines curis huius ſæculi angi debere perſuaſum eſt.



Qui tua ſollicitis verſas præcordia curis,
Vltricíque tenes anxia corda metu,
Pone animi curas, varióſq; relinque dolores;
Regula ſic nobis Pythagoræa iubet.

NARRATIO PHILOSOPHICA.


» VETVS illud Pythagoræ in ſymbolis decretum Cor ne edito, multis pòſt ſæculis Chriſtus grauiſsima ſententia comprobauit. Neque enim ſolum ij qui Philoſophi ſunt appellati, ſapientem omni animi ęgrotatione vacuum eſſe debere putauerunt: verumetiam & Chriſtus eos qui ſe præclariſsimæ diſciplinæ dedidiſſent, à curis & perturbationibus liberare conabatur: neque quẽquam vitæ & doctrinæ ſuæ alumnum iudicabat, niſi rerum externarum moleſtias & concurſationes longè à ſe depuliſſet. Nam neque tam parum excellens lex domini exiſtimanda eſt, vt non illi qui eam penitus complectitur, ſatis eſſe poſsit ad bene & beatè viuendum. Qui autem ita eſt animo affectus, vt Chriſtianam illam prӕſtantiam fortuitis adiumentis & ſubſidiis putet indigere, & quaſi ſuis eam præſidiis non contentam, curis & affectibus obruat, is quanquam in vulgus probetur, & ab omnibus ſolertiæ & ſagacitatis laudem ferat, non tamen mihi in Euangelij ſtatione eſſe videatur.
» Vt enim teſtãte Deo, inter ſpinas & dumo
» rum aſperitates fruſtrà ſemen tuũ ſparſeris, quòd
» nec ipſa ſeges paruulis ſubnixa fibris contra nitẽ-
» tium tribulorum maceriem ſuperatura ſit: ita pro-
» fectò verbum Domini quamuis ſumma animi vo
» luptate acceptum, perturbationibus huius ſæculi
» & rerum humanarum cura facile aboletur. Quòd ſi homines illi ſe prædicent religioſos ieiuniorum obſeruatores eſſe, iuſtitiam & pietatem colere, multos etiam officiis ſuis largiter demereri, non

tam

tamen mihi omnino videantur inculpati, ſi tanto ſtudio, tantaque animi perturbatione, etiam ſine cuiuſquam iniuria in patrimonij amplificatione decumbant. talia enim, inquit Dominus, gentes » inquirunt. In quo etſi contra ſummã illam & pri- » mam naturæ legem, nihil offendant, non tamen Chriſtiani nominari poſſunt: in quorum albo ne ſapiens quidem eſſe poſsit, niſi popularem illam ſapientiam hac vna perfecti & virtutis acceſsione firmauerit. Neque tamen is ſum qui omnia iſta amplificandi patrimonij ſtudia nobis de manibus excutienda eſſe putem: ſed in ea re Pauli Apoſtoli temperatio adhibenda erit, vt quaſi aliud agen- » tes nihiloque à Domino & Euangelicis actioni- » bus voluntate abducti, pecuniã & lucrũ faciamus, » viuamus quaſi non viuẽtes, ædificemus quaſi non » ædificantes: eaque ſit ſemper in proſperis aduerſiſq; rebus æquabilitas, vt nunquam tranquillitas illa vitæ, vel de ſtatu deiici, vel labefactari queat: quæ vt in mari, ſic in animis hominum facilè cernitur, cùm ſcilicet placatis perturbationum procellis & fluctibus verè nihil cupit animus, nihil deſyderat.

In ſtatuam Palladis.

Præclariſsimum ſi aut reges philoſophentur, aut philoſophi imperent.



Ius ſibi vibrandæ Tritonia vendicat haſtæ,
Et iacit intrepida Norica tela manu:
Illa tamen ſolita eſt ſcriptis palleſcere chartis,
Et pluteum innocuis cædere verberibus.
Huic bene conueniunt veterum monimenta ſophorum,
Quem iuſsit lata ſors ditione frui.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

MIRETVR fortaſſe aliquis res prope cõtrarias, naturaque diſcrepantes, eiuſdem numi‑is poteſtate conſecratas, & mutua velut amicitia poëtis ſociatas eſſe. Quis enim vnquam otium aſtris, ſtylum gladio, vmbram ſoli, togam paludamento ſimilem eſſe iudicauit? quis legibus in‑er arma, cautionibus iuris inter acies, prætoriis acramentis inter claſsica, paci denique inter ſi‑gnorum collationes & prælia locum eſſe exiſtima‑uit? Quæ quanquam vſu & facultate ſeparata eſſe videantur, qui tamen ad ea diligentius animum conuerterit, facilè res tam repugnantes ad conſen‑ſum naturæque conuenientiam ſit deducturus. Neque enim Alexander ille Magnus imperatoribus omnibus rerum geſtarum magnitudine ſuperior, alienum ab imperatoris maieſtate iudicauit, etiam inter explicatas acies de Homero cogitare & loqui, & quantum ſibi militarium rerum labor otij tribuebat, ad legendum potiſsimum cõferre. In eo rege tam flagrans in literas ſtudium fuit, vt ſæpiſsimè ad multam noctem vigilaret, & interdum in media contentione labore vigiliarũ penè fractus ſomno premeretur. Ad quem cum captis Darij caſtris, & fuſo Perſarum exercitu, regis ſcrinium multo auro, multis gemmis eſſet allatum, nonnullique quærerent, quid in arcula illa tanti digna collocari vellet, Homeri libros includi iuſsit: optimũ eſſe iudicans, ſi illa animi elatio quæ in imperatore eluceſcit maximè, literarũ & doctrinæ temperatione regeretur. Laudatúrque

Fuluius,qui Ennio comite ſuperatis Ætolis , non
dubitauit Martis manubias Muſis conſecrare. eſt
enim aliqua & ea opinor non vulgaris Muſis cum
Marte ſocietas : vt earũ adiumẽtis bellorũ inſtru-
ctus,multò & ornatior & cumulatior ſit futurus.
Iam & multis antè ſæculis alter Alexander qui
Neoptolemus dictus eſt, apud Ennium philoſo-
phandum ſibi neceſſe ait, ſed paucis:nec enim ea
ſunt præcepta philoſophiæ,vt illis etiam in bello
non poſsit eſſe locus.Et quanquam rempublicam
gerentibus , rei militaris ſtudia reliquis potiora
eſſe debeãt,felicem tamen eam rempublicã Plato
» prædicauit,in qua aut philoſopharentur princi-
» pes,aut Philoſophi imperarẽt.neq; enim ſi prę́ſtã-
tibus& magnis viris in bello omnia ſunt,neq; ſi ea
re ciuitatis moderatio maximè contineatur , mi-
nus tamen principibus viris enitẽdũ eſt,vt ſe phi-
» loſophicis legibus pares eſſe velint.Si enim reipu-
» blicæ gubernacula maxime in beneficio & pœna
» poſita ſunt,quis probè de ſupplicio inferẽdo
aut beneficio dando poteſt decernere,
niſi quod laudabile aut turpe
eſt,ſcientiſsimè co-
gnoue-
rit?

Antigenidæ ad diſcipulum.

Non pendendum à iudicio imperitæ multitudinis.



Cùm tua non placeat tunicato muſa popello,
Reſpuat & numeros publica turba tuos,
Téne inſulſa mouent queruli faſtidia vulgi?
Multum eſt & muſis & placuiſſe mihi.
Iudicium indocti ſapiens contemnere vulgi
Debet, & aduerſa ſedulus ire via.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

ANTIGENIDAS diſcipulum ſuum verecũdantem & prope deſperatione fractũ, quòd minus eius modi in vulgus probarentur, neque ſenſibus populi illius accommodata eſſet lyra, bono animo iubebat eſſe. neque enim qui à multis
» laudatur, continuò in quoque genere excellit: ſed in ea re peritorum iudicium adhibendũ eſt, quorum approbationem ſi arte aut natura permoueris, totam doctrinæ gloriam conſecutus eſſe videare. Neque verò Antimachus, quòd ſemel de rebus magnis diſputans ab imperita concione, vno Platone excepto, deſertus eſſet, ſtudia, reſtinxit ſua. Abũde enim magnũ diſputationũ ſuarum theatrum vnum Platonem iudicabat, qui ſolus omnium inſtar eſſet. Nam vt contra aliquem tarditatis opinio minime valitura eſt, quæ modo in hominum imperitorũ animis ſit concepta: ita nihil eſt tam inſigne, & ad commendationem laudis tam ſtabile, quàm aliqua in re ab vno laudari, qui illo genere magnopere præſtet. Quibus enim in vita propoſitum eſt, vt res gerant magnas & arduas, quique ita ſunt animo affecti, vt cogitent difficillima, faciant optima, & ferant quæcunque erunt, tam certè ſunt ex ſe apti, vt in ſeipſis ſua ponant omnia, neque à iudicio imperitæ multitudinis ſuſpenſas habeant rationes ſuas. At enim quid illi cum præſtantibus & magnis viris eſſe poteſt, qui in omnibus ſequitur non rationem ducem, ſed ad vitia conſentientem populum? Iam verò eorum quæ cum virtute fiunt tanta eſt permanſio,

ſio,vt apud omnes ætates ſempiterna ſit authoritas:difficile enim eſt factu ſingulis temporibus nõ exiſtere aliquem, in quo virtutis ſignificatio eluceat.Quæ autẽ in vulgi opinatione &tutela iacẽt, ea non niſi lubrica & caduca eſſe poſſunt.Nam & memoria patrum res prope innumerabiles quaſi diplomate veritatis ſunt obſignatæ, quæ tamen à noſtris hodie non probantur.Et in iis artibus quarum doctrina obſeruatione maximè conſtat, multa à maioribus per manus ſunt accepta, quæ tamẽ poſteritatis vſu & ſilentio ſunt abrogata. Tãta eſt „ enim hominum in diſſentiendo propẽſitas, vt eos „ vel aduerſari delectet,etiamſi non ſit cauſa.Et quẽ „ admodum nefarius ille Heroſtratus nullis in patriam benefactis clarus, dum memoriam ſui apud poſteros intermorituram reputaret, eam celeberrimi Dianæ Epheſię templi incendio conſecrauit: ita nonnulli aditum ſibi nullum ad veram gloriã patere exiſtimant,quàm ſi à maioribus accepta antiquarint, &, vt aiunt,cornicum oculos confixerint. Quia enim nulla ſpe poſteritatis ſe conſolantur, neq; obſcuritatem ſuam aliquo præclaro geſto ab iniuria mortalitatis vindicare queũt, eos factis &ſcriptis appetunt,qui olim ſibi æternam nominis ſui famam pepererunt.

Leo.

Contra immoderatè agentes in rebus ſecundis.



Trux Leo proſtratis parcit, ſed dentibus vrget
Quos videt armata ſumere tela manu.
Fumoſos tollant reſupino è pectore faſtus,
Qui celebris pingunt ſtemmata lōga domus,
Quíque triumphantes Tyrio ſpectantur in oſtro:
Sæpe etenim tales liuor & ira premit.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

INTER eas res quæ hoc ſæculo ſecuritatem & otium afferre ſolent, nihil aut præſtantius, aut melius homini à natura datum eſt pauperta-te. Vt enim tenuitatem colere & paruo con- „ tentum eſſe, non modo philoſophicum, ſed „ chriſtianum eſt: itȧ nihil eſt magis conſtantiæ „ & magnitudini animi proprium, nihil ad ſta „ tus ſui diuturnitatem æquè ſtabile, quàm ea „ ipſa rerum ſubſidia negligere, in quibus acqui- „ rendis vulgus hominum cura incredibili, in „ ſeruandis, maiore etiam metu cruciatur. Et „ quanquam olim magnis viris, qui ſibi capeſſen dam rempublic. exiſtimarunt, ſummè appeten-dum eſſe viſum eſt, cum dignitate otium, ta- „ men illos ſæpiſsimè mutabiles fortunæ caſus fe-fellerunt. Nam & in republica Athenienſium, quæ & dominatione, & præſtantiſsimis inſtitu-tis floruit, nulli bono ciui potuit eſſe locus, qui non ab ingrata patria in diſcrimen fortu-narum & capitis vocaretur. In his Miltiades & Themiſtocles fuerunt, qui cum turbulentiſ-ſimis temporibus, maximis ſe patriæ fluƈti-bus obieciſſent, tamen illis in ciuitate toties à ſe ſeruata mori non licuit. Neque verò ex his qui rempublicam Romanam ſpoliis & triumphis decorarunt, vnum aut alte-rum reperias, qui non aliqua pœna à re-rum gubernaculis diſceſſerit. Non enim in republica verſantibus (hoc eſt in mediis opinionũ & temporum procellis) poteſt eſſe aliquis tran-

„ quillitati & quieti locus. Et quemadmodum gu-
„ bernatores optimi ſępe vim tempeſtatis, ſic ſapien
„ tiſsimi & fortiſsimi viri fortunæ impetum ſupe-
„ rare non poſſunt. Qui autem à publicis negotiis ſe remouēt, & ampliſsimas opes non arca, ſed animo metiūtur, illis certè in tā pacata & otioſa vita fortunatiſsimis eſſe licet. Quod eò eſt facilius, quò minus multa in eorum vita patent, quæ vel fortuna, vel principatuū & temporū viciſsitudo feriat. In quo deridenda eſt quorundam hominum ſtultitia, qui vel patrimonij magnitudine, vel principum amicitia & clientelis elati, ſe reliquis hominibus præſtare putant: quaſi nulla eos res de gradu dignitatis poſsit deiicere, aut quod in opinatione & principum voluntate iacet, omnibus ſæculis poſsit eſſe conſtans & perpetuum. Itaque publicam dilapidēt pecuniam, ærarium exhauriant, terras & maria cupiditate ſua abſorbeant, donationes ciuitatum ex placito impetrent, laqueatas domos ædificent, & aurum coronarium de omni populo & prouincia accipiant, ne illa tamen mihi tantopere videntur eſſe ſuſpicienda. Vna enim dies interrumpit omnia, & quæ tantam in populo mirationem faciunt, ſæpe ſubito tempeſtatis turbine peruertuntur.

In Satyrum.

Contra ſedentarios & cerdones, qui paulùm vltra primas literas promoti, ſuo ſenſu in literis ſacris verſari volunt.



Qui miſer æthereæ cupiebas oſcula flammæ,
Ipſe vides poſitas in tua damna faces.

ALIVD.

Dum terris infert ignis portenta Prometheus,
Fallit & incautum calliditate Iouem:
En Satyrus pulchri miracula ſuſpicit ignis,
Et cupit amplexu grata referre ſuo:
Nec mora, flãma ingẽs miſeros ꝑuadit in artus,
Et tulit errori triſtia penſa ſuo.
Quî potis es ſacræ tabulas tractare Sophiæ,
Et vel cornicum lumina confodere,
Cũ te habeãt feſſum ſulcus, viléſque quadrigæ?
Tu ne aliena audes ponere iura fide?
Non metuis noſtris verſantẽ in faucibus ignem,
Cuius vel totis flamma vagatur agris?

NARRATIO PHILOSOPHICA.

NVLLVM hominum genus vel importunius vel minus tolerabile dici poteſt iis, qui cum vltra primas literas leuiter proceſſerint, tantùm tamen opinione ſua aſſumunt ſibi, vt quaſi deſultorij in curriculum quadrigarum audeant incurrere. Vt enim ignorantia in vitio vel noxa non eſt, ita incredibilis eſt amentiæ, ſi quis nullo vſu, nulla doctrina de re quacunque quæ ſcientia ſit explicanda, iudicium ferat. Si igitur ex veterũ ſententia, quam quiſque artẽ nouit, in ea ſe exercere de- » bet, quantò certè cum ratione erit coniunctius, » rei controuerſæ peritiſsimos quoſque iudices adhiberi? Qui autem tam mirificè impudens eſt, vt in his quæ non attigit, ſententiam ſe rogari velit, & eos qui omni diſciplina habentur excellentes, non modo ad certamen prouocare, ſed illorũ monimenta vna clauſula antiquare, tales opinor ad artificium ſuum, quò eorum fert natura, dimittendi erunt. Vt enim nemo probè imperare poteſt, niſi aliquando paruerit: ita neque diſputare aut docere, qui doctorem non audierit. Sed tamen ea eſt temporum diſciplina, vt quibus opinionum veſtigiis aliquis primùm inſtiterit, in his ad extremam vſque ſenectutem conſeneſcat: quæque ſtatim animo arripuerit, ea ſibi omnibus modis tuenda eſſe arbitretur. Quo in genere forſitan iis ſit condonandum, qui præclariſsimis artis & doctrinæ præſidiis inſtructi, perueſtigandæ veritatis ſtudium ad ſcientias afferunt. Quibus eò difficilius eſt de aliqua ſententia deduci, quòd de ea

ſe cum dignitate iudicare poſſe non deſperant. Du rius enim homines docti ſecum agi exiſtimant, ſi in veri perueſtigatione magis authoritatis quàm rationis pondera æſtimentur. Qui autem vel in fo ro argentariam, aut venalitiariam vitam agũt, vel ſimilibus iis artificiis occupantur, non ſit illis per mittendum, ſi plus in literis ſacris ſenſum ſuum quàm peritorum iudicium valere velint. Nam qui ſine doctrina ad aliquod ſe diſciplinæ genus con ferunt, quia minus conſequentia & rerũ anteceſ ſiones animo peruident, hoc potiſsimũm comple ctuntur, quod maximè corporatis ſenſibus accom modatum eſt. Et profectò magnum quiddam ex illis præceptis ſibi acceſsiſſe putant, ſi cupiditati bus ſuis Deum laudatorẽ poſsint adhibere. Iã verò in quamcunq; te religionis partẽ animo conuerte ris, ea tamen ſemper cautio neceſſariò ſit adhiben da, vt nõ quod vnuſquiſque ſibi priuatim ſumpſe rit, id pro ſenatuſconſulto habeatur (quid enim in ter tot diſſentientium hominum familias conſtãs eſſe poteſt?) ſedita res expediatur, vt quod frequẽs & bonorum & plurimorum concio decreuerit, id ab omnibus obſeruetur. Nam ſi volumus initia religionis replicare, videmus etiam inter princi pes illos, qui à Chriſto edocti vniuerſum terrarũ orbem ad fidem adiuaxerunt, maximas de religio ne controuerſias extitiſſe: neque tamẽ quod vnus quantumcunque miraculis vel pietate excellens in animum induxerat, id continuò erat ſanctum & perpetuum: ſed vocatu ſeniorum conuentus co gebatur: quo in ordine quod maior pars iudicaſ-

ſet

ſet, id publica authoritate & fide ab omnibus ſeruaretur. Et certè tantùm apud quoſdam ex Apoſtolis circuncißionis valuerat antiquitas, vt ij qui ex gentibus ad cultum Chriſti conuolarent, minime extra circuncißionis neceßitatem poſiti eſſe ex plurimorum ſententia viderentur. Qua in opinione cùm & ipſe Paulus eſſet, Titum circuncidit. Sed cùm de ea re ad concilium eſſet relatum, lege lata circuncidendi neceßitas Chriſtianis permiſſa eſt. Nihil igitur in religione firmum habere, niſi „ quod tecum ipſe velis & intus ſentias, hominis eſt „ ſanè per quam deplorati: ſed in ea re illorum ſit „ exiſtimatio, qui & numero & doctrina antecedunt. Ex quibus nationes multæ iuſta reprehenſione minimè caruerunt, quòd cùm rebus in religione nouandis ſtuduiſſent, ita tamen ſe geſſerunt, vt nemo apud eas degat, qui nõ à cæteris opinione & doctrina diſſentiat: & vt quiſque maximè eſt egregius, id efficit, vt in religione cuiuſquam niſi ſui ſimilis eſſe nolit.

Vulgatum de hirudine.

In pragmaticos æruſcatores.



Plus iuſto ſitiens vitalis hirudo cruoris
Pallentem mittit non niſi plena cutem.
Nouit pragmaticus cauſas differre clientis,
Sanguineq; humano non niſi paſtus abit:
Sed fugit, in vacua fundum cum viderit arca,
Et cum pauperior cœperit eſſe cliens.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

INVIDIOSVM genus hominum æruſcatores Pragmatici, quibus in pecunia omnia ſunt, quiq́ue ſine lucro nihil laudabile, nihil oficij expectatione dignum gerũt. Et quẽadmodũ in naui locum eſſe oportet, per quem ea quæ neceſſario profluentia aliquid tetri odoris eſſent habitura, procul à ſenſibus queant amandari: ita reipublicæ gubernaculis accommodatum eſſe maiores putauerunt, ſi in celeberrima ciuitate non deeſſent, qui ſordes & peccata populi abſorberent, & pernicioſa illa malorum omnium eſca cupiditate, de hominum litigantium flagitiis & ciuilibus diſſenſionibus multam repeterent, fructúſq; vberes in aliorum calamitate ferrent. Sed quia natura euenit, vt ſummas corporũ varietates, totidem penè animorum diſsimilitudines conſequantur, magnopere opinor cum publica tranquillitate & quiete coniunctũ eſt, eſſe aliquos qui in tãtis controuerſiarũ & diſſenſionũ concurſationibus & ſtudiis, publicè operã ſuã locent: vt iis qui in forenſibus negotiis minus erunt exercitati, proſpectum eſſe poſsit. Sed qui eas cauſas, quas illuminatas & faciles à clientibus accipiunt, tenebrarum inuolucris obducunt, qui quod translatiuè & breui (quod aiunt) manu explicari potuiſſet, tricis ſuis, diffiſionibus, vadimoniorum deſertione, ſcripturis opiſtographis, denique ęternitate cõſignãt: qui periuriũ, qui falſum, qui mẽdaciũ, qui deceptiũcu las, qui fruſtrationẽ, qui vim & metũ, qui furtum, qui dolũ malum ad ſubſellia afferũt, his poſsit eſ-

ſe in præſtantiſsimo ſenatu locus? Et quemadmodum qui vineam inſtituunt ad illius propagationem diuinitus paſtinos inuenerunt, ſic homines iſti eam, quam primùm nudam & ſolam cauſam receperint, labore & diligentia ſua repaſtinant: ita fit, vt quæ vna fuerat, in varias & innumerabiles penè lites propagetur. Et nos certè quendam ex illo numero, qui publicis auſpiciis primùm in id munus erat allectus, audiuimus cum diceret, ſe nihil aut vberius, aut cumulatius in eo vitæ genere à Deo optimo maximo contendere, quàm duodecim lites ad ſe deferri: ſibi enim certò recipiebat fore, vt ex illis duodecim induſtria ſua infinitæ aliæ naſcerentur, ex quibus magnam pecuniam eſſet facturus. Et profectò contra naturam ſit putandum accidiſſe, ſi quis ex his qui illo in collegio ſunt inaugurati, pecuniam negligat, eáque mercede ſit contẽtus, quæ neque litigãti onerosa, neque labore ſit inferior.

Exemplum ſtultitiæ.

Cum pertinacibus non agendum.



Caucaſeum crebro lapidem qui verberat ictu,
Non iniuſte ambas perdidit ille manus.
Deſine cum duro contendere viribus Albi,
Indurata nequit mollior eſſe lues.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

RIDENDVM arbitror videatur, ſi quis contentius pugno lapidem allidat: quod huius vindictæ genus non tantùm ad diſciplinam non proficiat, ſed etiam in caput ipſius, qui pœnam conſtituit, redundet. Sic & forſitan fruſtra illi cõtenderunt, quibus perſuaſum erat animos hominum, in quibus ab ipſa natura libertas quædam inſita eſt, vi & armis noua religionis lege alligari poſſe. Qui enim ita ſunt animo affecti, vt cedant nemini, neque aliorum ſententias quicquam ponderis apud ſe habere velint, facilè illorum corpora cruciatu aut minis huc & illuc impellas, animi autem elationem quæ in præſtantibus viris elucet maximè, nunquam ad æquitatem adduxeris. „ Quò enim quiſque animi magnitudine & do- „ ctrina prȩſtat, hoc aliũ ſibi devia & officio prȩire „ patitur immoderatius. Quidã verò ſunt nullo neq; vſu rerũ, neq; ſcientiarũ inſtructu prædit, quos tamen pertinacius in aliqua ſententia hærentes, nũquam dimoueris. Quod vt omnibus in rebus, tum verò in religione magnopere periculoſum eſt. Cũ his certe (quia neque decernendi neque decertandi ratio valet) consultius egerit, qui non reiecto tantũ, ſed abiecto ſcuto contenderit.

Mendici pera.

In auaros.



Mendici peram vix vnquam impleueris Iri,
Multa licet dones vberiora petet.
Sit vel Tartarci præſens opulentia ditis,
Vel loculus Crœſi, ſemper auarus eget.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

ETsi forſitan ab ea quæ hominem homini coniunxit natura, nó mediocriter abeſſe iudicari poſſit, qui alterum in rebus afflictis non iuuerit: eſt tamen meo quidem iudicio de Euangelica illa pietate & officis philoſophicis nonnihil remittendum, cùm is beneuolentia & iudicio tuēdus eſt, cui benignitas noſtra parum profutura eſſe videatur. Quo in genere accommodatè quiſpiam dixerit, religionem eſſe, ſi quis auarum hominem, & eum in quo tantopere cupiditatis deſedit ſitis, amicè & familiariter ad liberaliorē vitam tentet deducere. Nam præter id, quod amica illa & homine digna oratio nihil momenti apud illum habitura ſit, non videtur aliorum obſequiis eſſe adiuuandus, qui ipſe ſibi in tanta calamitate non tantum deſit, ſed tam diuturni mali ſibi non inuitus author eſſe velit. Itaque qui ſe totos ad lucrum & pecuniam faciendam accommodauerūt, in eo plerunque ſunt, vt neque cibum capiant, neque ea ſibi parent, quæ ad vſum victumque ſunt neceſſaria: in maxima rerum omnium copia, voluntate egent: in ſummis diuitiis pauperes ſunt: in tranquillitate cui eſſet inſeruiendum, habendi deſyderio cruciātur. Ambulāt ſordidati & ſquallidi, domi fame & apud alios cruditate delectantur: ita viuunt denique, vt ſibi eos bellum prope internecinum indixiſſe facilè exiſtimes. Hæc vt in malis ponēda ſunt, ita continuò Chriſtianū hominē, eūq; qui in aliorū miſeriis cōmoueri ſolet, miſericordia impellant. Sed qui hominis auariſsimi ſordes,

ſordes, infamiam & vitæ indignitatem ſecum ipſe
reputat, malit opinor illum in tanta calamitate
æquum placatumque dimittere, vt is tandem ſce-
leri & cupiditati ſuæ expenſum ferat, quàm tan-
tam infelicitatem homini ſpurciſsimo inuidere.
Neque enim quicquam eſt, vel reipublicæ mode-
rationi aptius, vel diſciplinæ temporum conue-
nientius, quàm eos ſibi diu noctuque pœnam in-
fligere, quorum domeſtica vitæ ratio ad publi-
cam vindictam legibus eſſet expetenda. Nam qui
iudicum ſententiis pœna coercentur, hoc ipſo rei
publicæ oneri ſunt, quòd ipſis ſupplicium expen-
ſa ærarij irrogari ſolet. Qui autem ſeipſos tor-
quent, ſeque inedia, labore, vigiliis & reliquis ani
mi ægrotationibus conficiunt, dum ſibi vtiles eſ-
ſe volunt, ipſi quoque fiſco proſunt. Vnde
fit vt neq; hæc eis calamitas, neque ta
lis ſumptus leuatio ciuitati
& publicis commo
dis inuiden-
da ſit.

L v

In morem Elephantorum.

Non perdendum amicum ob bonum dictum.



Stulte relucenti redimitus corpora vitro,
Ah ne elephantorum florea rura pete?
Talia magnanimum lædunt inſignia barrum,
Offendúntque oculos lucida ſigna ſuos.
Si te ſyncero fortuna adiunxit amico,
Non quæcunque putes verba licere tibi.
Sed fuge mordaces placato ſplene cachinnos,
Et quicquid veram lædit amicitiam.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

FERE euenit vt quo quis animi præſtãtia magis excellit, hoc in eo maior dicendi & ſermonis quotidiani libertas dominetur. Ex quo & Ennium dixiſſe ſolitum ferunt, facilius à ſa" piente flammam ore inardente opprimi, quàm" bona dicta, hoc eſt, ea quæ ſalsè & facetè in aliquem proferuntur. Nonnullique ſunt in eo genere tam parum moderati, vt veteres amicitias malint diſſuere, quàm bonum dictum perdere. Quæ res eò certè magis fugienda eſt, quo nihil melius hominum communitati à natura datum eſt coniunctione & amicitia: in quam qui mediocriter offendit, ſocietatem hominum violat inter ipſos: iuſtéque multi illum diem periiſſe arbitrati ſunt, in quo aliquem ſibi amicitia non deuinxiſſent. At enim oportet eos qui amici & eſſe & nominari volunt, in familiari colloquio erga amicos continentes eſſe, neque in eos liberius dicere, quorum amicitia præſens fructum, auulſa dolorem afferre ſolet. Facilè enim quiuis in alios quæ vult profundit: ſed ea ſæpiſsimè æquo animo ferre cogitur, quæ magnò audire noluiſſet. Romani incredibili propè religione inter filios ſuos verſabãtur, ne eos quorum ſalus & gloria illis debebat eſſe periucunda, aliquo crimine imbuerẽt: tãtũque apud illos verecũdiæ valuerat opinio, vt nũquã patres ex gẽtis inſtituto cũ filiis puberibus lauarentur. Quòd ſi ea amicitia, quam vel morũ ſimilitudo bonorũ, vel ſtudiorũ ratio colligauit, nihilò na

turæ coniunctione inferior eſt, qua quæſo ver ecundia, religione, moderatione, volũtate erga noſtri amantiſsimos eſſe debebimus? aut quomodo nomen & dignitatem amicitia retinere poterit, quæ verborum aut factorum licentia quaſi de gradu deiicitur. Neque enim diu amicitia conſtare poteſt, quæ familiaritatem nimiam, aut potius contemptum habet. Qui verò maxima veneratione amicos ſuos tuentur & colunt, & faciliùs accedunt ad beneficium, & cùm accedunt, id ſe facere exiſtimant Deo & hominibus approbantibus.

Appetitus ſubſit rationi, vt equus ſeſſori

Ex Platone.



Quã malè ſeſſor equo tractãdæ ignarus habenæ
Inſidet, ah poterat tutior ire pedes.
Qui fræno nequit in proprijs affectibus vti,
Peccatóque amens mergitur ille ſuo:
Par eſt brutorum potius numeretur in albo,
Nam ratio in motus obtinet imperium.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

INTER ea quæ propè dicta diuinitus ex Platonis ludo prodierunt, nihil grauiùs aut ad Philoſophiam accommodatiùs dicitur, quàm quòd ille rationem appetitui velut ſeſſorem equo inſidentem facit. Vt enim is ſeſſor & imperitiæ, & temeritatis teneri meritò ſit iudicandus, qui equum quò velit impellere, vnde autem velit non poſsit deducere: ita nec is partes illas quæ ſibi vel à Deo optimo maximo, vel à natura attributæ ſunt, cum dignitate ſuſtinuiſſe videatur, qui animum ſuum proſperis rebus ferocientem & elatum, ratione & præclara illa rerum omnium gubernatrice ſapien-
" tia non velit coërcere. Nam quæ ratio longo nos
" interuallo à feris ſepararat, eadem ipſa cum Deo
" optimo maximo nos mirifica & æterna ſocietate
" copulauit, vt homines ſe non tantum brutis
" animantibus præſtare, ſed etiam ratione & vir-
" tutum cæterarum officiis cum Deo immortali
" coniunctiſsimos eſſe cognoſcerent. hac igitur ſola cùm nihil ſit, non dicam in homine, ſed ne in cœlo quidem diuiniùs aut pleniùs, videatur indigniſsimum, ſi quis illam apud ſe, & parum liberali cuſtodia & appetitus mancipio dominatuqne teneat. Quod qui facit, nō modo ſummam Dei erga nos liberalitatē pro nihilo ducit, ſed penitus eam communionem quæ prima hominibns cū Deo per rationem interceſsit, violat & peruellit. Nam ſi ratio eſt quæ anteceſsiones rerum præcipit, conſequētia cernit, qua argu-

argumentamur, refellimus & de occultiſsimis naturæ rebus iudicamus, cuius moderatione & imperio vniuerſum hoc continetur & regitur, non erit conſentaneum eam quaſi baiulam animorum ægrotationibus inſeruire, eiuſque ſplendorem à corporatis voluptatibus obſcurari. Vt verò æternum eſſe Deum omnium mortalium ſemper conſenſus fuit, ita & ingeneratam rationem fatēdum eſt, quæ vna apud cœleſtem illam diſcretionem & præpotentem Deum ſemper valuit, ſemper dominata eſt: quæ cum ante iſtos ſyderum aſtrorūque curſus, & cœli conuerſiones vigeret & micaret, tandem ſummo Dei immortalis beneficio etiam ad eos qui infimum iſtum globum tuerentur, venit: non certè vt ad vitia cōſentientem appetitum ſequeretur, ſed vt illa rerum omnium dux & magiſtra homines tam æquabili ſimilitudine temperaret, vt non tantum aliquis ſui, ſed omnium omnes recta ratione & officiorum conuenientia ſimiles eſſe poſſent: qua ex ęquabilitate elucet ea quæ ſapientia nominatur.

In Aſpendium Cithariſtem.

Contra amicos noſtrates.



Dũ mouet ad citharã numeros Aſpẽdius, intus
Occinit, & reliquos non iuuat ipſa chelis:
Et ſua ſummiſſo demulcet pectora cantu,
Priuatiſque ſciens auribus ipſe ſtudet.
Sic propria ingratus cõpẽdia ſpectat amicus,
Dum cautè ſimulat commoda noſtra ſequi.

Narra

NARRATIO PHILOSOPHICA.

ASPENDIVM cithariſtem intus canere ſolitum fuiſſe hiſtoriæ prodiderunt: vel quòd eos qui adeſſent cantibus & neruis ſuis delectari æquo animo ferre non poſſet: vel quòd tali modo rum genere quo non omnes valent, impenſius caperetur. Cuius ſolertiam neſcio an fidibus & modis, at certè moribus homines noſtri proximè imitati ſuut. Dum enim ſe concordiam & conuenientiam, ſine qua inter homines amicitia nomen ſuum tueri nequit, omnibus modis coluiſſe videri volunt, amicitiam totam vtilitatibus & commodis ſuis circunſcribunt, neque eos quos ſibi amiciſſimos gloriantur, beneficiis retinendos eſſe exiſtimant. Sed quid in amicitia illuſtrè aut magnificum eſſe poteſt, ſi meum & tuum adiũxeris, æqualitatem remoueris, & mirificam illam in collocandis officiis pietatem funditus ſuſtuleris. Ac mea „ ſententia nihil in vniuerſa hominum ſocietate pręclarius nominatur, quàm ęqualitas, vt quod apud „ te fuerit, liberaliter & officiosè neceſſario tuo, ſi „ res poſtulet, impertias. In quo ſi fueris remiſſior, efficitur illa Chriſtiano nomini lues infeſtiſsima, quæ Leonina ſocietas appellatur.

In permutationem Diomedis & Glauci.

Pax auro redempta.



Dū trepidè Glaucus Diomedem fertur in hoſtē,
Et dubiam in pugnam ſæuus vterque ruit:
Re tandem infecta, poſitis concordia ſignis
Iurata eſt, dextris fœderis ergo datis:
Arma dat ex auro Glaucus, recipitque viciſsim
Ferrea, quæ æterni pignoris inſtar erunt.
Pacem auro redimas, pretio compone duellum,
Nam patriæ confert ære parata quies.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

GLAVCO Amphilochi filio, qui Priamo diuturna obſidione preſſo, ſubſidio ad Troiam venit, iudicio poſteritatis pro laude poſitum eſt, quòd Diomedem ſingulari certamine abs ſe prouocatum, magno pretio æquum placatumque dimiſerit. Cui quanquam ea non deeſſet incitatio, quæ in maximis animis ſtudio pugnæ impellitur, tamen & conſentaneum dignitati ſuæ, & à diſciplina militari non abhorrens iudicauit, ſide pace quæ nihil inſidiarum eſſet habitura, etiã iniquis conditionibus cum hoſte conſultaret. Itaque, vt ait Homerus,

Χρύσεα χαλκείων ἑκατόμβοια ἐννεαβοίων „

cum Diomede non dubitanter permutauit, & præclariſsimo illo authoramento cum hoſte in gratiam rediit. Nam præter id quod omnis belli exitus incertus eſſe ſolet, habet decertãdi ratio aliud „ incommodum, quòd etiam eos qui vicerint maximis plerunque cladibus afficit. Quid verò ſocietati hominum inter ipſos tam diſcrepat, quid belluarum magis ſimile, quàm mentem, induſtriã omnem denique humanitatem ad alterius perniciem cõferre? vt eum quem fidei tuæ natura ipſa commendarat omnino deleas & opprimas. Iuſtè igitur monent illi qui ex duobus decertandi generibus, quorum vnum per diſceptationem, alterum per vim explicatur, nunquã poſterius ſumẽdum eſſe putant, niſi quoties vti priore non licet. Neque enim bella vnquam ſuſcipienda eſſe

maiores putauerunt, niſi vt paci & quieti poſsit eſſe locus: pro qua omnis iuſta & legitima eſt viro magnanimo dimicatio. Vnde & fortitudinem veteres appellabant, virtutem quæ pro æquitate propugnaret. Sed cum probè omnia quæ in ciuitatum moderatione verſantur, animo luſtraueris, nihil eſt ad reipublicæ perpetuitatem æquè ſtabile, nihil naturæ hominis magis accommodatum, quàm pax & tranquillitas: cui ſi à nationibus iis, quæ aliquando imperio & principatu floruerunt ſummo ſtudio eſſet inſeruitum, illarum non tantum memoriam (quæ tamen planè è mentibus noſtris euulſa eſt) ſed etiam rempublicā haberemus. Ac ſanè tanta eſt in nonnullis hominibus principatus appetitio, vt potiùs extrema quęque patiantur, quàm vt finibus ſuis & ditione contineri poſſint. quod patrum memoria declarauit temeritas cuiuſdam apud Italos principis, qui cum ſibi vitam acerbam prædicaret, niſi aliquando Cæſar eſſet factus, tandem nihil factus eſt.

In mortem Craſsi.

Mors vna beat & ditat.



Qui nequit effoſsis animum complere metallis,
Continuóque lucro ſedulus immoritur,
Sollicitúſque ſolo commiſſam cogitat ollam,
Hunc quis opinetur diuitis eſſe loco?
Dū petit Euphratē, fatis lachrymātibus, aurum
Quod ſitiit Craſsus, mortuus ille bibit.
Hæc erit extremo, me iudice, gratia fato,
Quòd dat inexpletis mentibus eſſe modum.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

QVAE tantopere in animis hominum dum ad vtilitatis rationem om ia conferunt, cupiditatis inueterauit opinio, eadē ipſa vel omniū conceſſu patrimonia & hæreditates expilare, calendaria conturbare, & rationes domeſticas mirabiliter affligere vna conſueuit: fereque euenit, vt quò maior in patrefamiliâs habendi & lucri faciendi cura dominatur, hòc illi minus ex animo fortuna reſpondeat. Nam Crœſum ditiſsimū Lydorum regem vnius belli ad extremum procella peruertit: & quæ ei auaritia ad tantas opes credebatur eſſe ſuffragata, eadem illum in fortunarum & capitis diſcrimen coniecit. Neque mea ſententia accommodatior ad inopiam & rerum omniū deſperationem aditus eſſe poteſt, quàm per diuitias, quibus ſi te impenſius addixeris, minus opinor promoueas, quàm ij qui modico cōtēti paupertatem omni ſtudio coluerunt. His enim quoquo modo ſe res habeant, licet eſſe beatiſsimis. Quis enim aliqua re carere iudicetur, qui eam nō deſiderat? at qui non caret, habet certè, aut ab habente nihil diſcrepat. Qui verò vulgò diuites appellantur, & in pecunia facienda verſantur impenſius, ſi qua clades domeſticam illorum rationem perculerit, ne illi quidem non ærumnoſi eſſe poſſunt. Semper enim in iſto genere contentionis illud valuit, vbi non ſis qui fueris, non eſt cur velis » viuere. Itaque ipſa rerum copia quæ tranquillita- » tem & quietem cupidis hominibus allatura eſſe

vide-

videbatur, ſæpiſsimè ruinæ & calamitatis periculum ſtruit. Quòd ſi vt de Polycrate Samiorum tyranno accepimus, alicui omnia cumulatè ſuppeterent, quæ homini à fortuna ſuppeditari poſſunt, non poſsit tamē is verè felix numerari. Quis enim eam felicitatem nominauit, quæ ſubito aliquo caſu interpellari poteſt? quis ſummum bonū, quod non eſt perpetuum? Teſtes ſunt multi & præſtantes viri, quorum operoſa concurſatio aliquando in calce, ſæpiſsimè in curſu, interdum etiam in carceribus impedita eſt: & qui dies illis à grauiſsimis contentionibus requieſcendi eſſe debuiſſet, is omnium ſæpe luctuoſiſsimus apparuit.

A mortuo tributum.

Moderatio in vectigalibus.



Deſine nocturnas tabulis inceſſere laruas,
Pendere vectigal mortuus anne poteſt?


NARRATIO PHILOSOPHICA.

GLORIOSVM ſanè eſt, planéque regium, eos qui rerum potiuntur idem ſibi ſumere ſuo iure poſſe, quod ſummus ille dux Hebræorũ Moſes de ſe apud Dominum prædicauit, tanto ſtudio ſe in ſingulorum vtilitates propendiſſe, vt ab illis neque aſinum, neque equum corraſiſſet. Quo in genere multis pòſt ſæculis Samuelem ipſum vetera ſcripta laudibus extulerunt, quòd in procuratione populi Iudaici, rebúſque religionis bene & nauiter tuendis, animum, diligentiam, ſtudia denique omnia ad priuatorum vtilitatem & leuationem cõtuliſſet. Iureque Aratus Sicyonius laudatur, qui cum ciuitatem ſuam Sicyona tyrannorum dominatu annos quinquaginta oppreſſam liberaſſet, à Ptolomæo Ægypti rege, grandem pecuniam mutuò accepit, vt eas poſſeſsiones quæ vi à iuſtis dominis translatæ, longo ſpatio hæreditatibus, emptionibus, dotibus & aliquorum mancipio, coloratè tamen tenebantur, redimeret, & ſine detẽtorum iniuria ſuum cuiq; tranſcriberet. Hac æquitate perfectum eſt, vt & ij quorũ bona atrociſsimæ voci præconis ſubiecta fuerant, ſuum reciperent, & qui longo interuallo in poſſeſsione fuerant, rei diſpendium pecunia ſibi refecta ſolarentur. In quo verè principis animus intelligitur ita à iure diſcedere, vt nemini iniuriam facere videare. Hos vt pleno ore laudamus, ita profectò turpe & odioſum eſt, apud Homerum Agamemnoni regi ditiſsimo frequenti Græcorum concione, ſordes & auaritiam ab Achille exprobrari, & eum

qui ſubditis caueie debeat Δημοβόρον βασιλεα, & πάντων φιλοκτεανώτατον appellari. Vt enim nulla re magis ij qui reipublicæ præſunt, pietatem colere, & ciuium beneuolentiam conciliare ſibi poſſunt, quàm continentia & liberalitate: ita certe ij labefactant fundamenta ciuitatis, qui ex ſubditorum diſpendio & iniuſta collatione fortunas ſuas volunt ampliari. Nam neque bene imperare poteſt, qui non omnino commodorum ſuorum fuerit oblitus: qui ſi in fortuna ciuium liberaliore rem ſe ſuam facere exiſtimet, non arbitrabitur ea ad amplificationem patrimonij ſui pertinere, quæ publico reipublicæ luctu & damno de fortunis popularin̄ ſunt deciſa. Sed in imperandis vectigalibus & ἐπικεφαλίοις ſeruabit eā mediocritatem, quæ inter nimium & parum ſita eſt, vt neque illi ad amplitudinem quicquam deſit, neque populo grauis eſſe videatur.

Contra veteres, nullam Fortunam eſſe.

Ex Auguſtino.



Aſpice vt in noſtris pendet Rhamnuſia furcis
Et recipit ſceleri debita penſa ſuo.
Quæque olim (ſi diis placeat) confecit vtranque
Paginam, apud Gallos vltima fata luit.
Quid tibi Fortunæ curæ eſt rota mobilis? illi
Quid tecum eſt? ſapiēs ſolus apud te habita.

Narra

NARRATIO PHILOSOPHICA.

FORTVNAE deæ tantum veteres ethnici tribuerunt, vt illi ætatum omnium conceſſu in rebus proſperis & aduerſis poteſtas, imperium, dominatus,omnia denique expenſa & accepta referrentur.Si quid ex animo accidiſſet, laudabatur ſola:in luctu autem & calamitate etiam eadem accuſabatur,& vna vtranque paginam faciebat.Neque illius ſolùm in rebus domeſticis & vrbanis apud gentes valuit authoritas, ſed eius quoque dominationem & vim ad rem militarem perduxerunt:vt cuius exercitus dux victor euaſiſſet, is tantum beneficium à fortuna conſecutus eſſe videretur. Itaque illi publicè templa poſita ſunt,& diuinitatis delatus honos: quòd fortaſſe eo cultu in amicitia & benefaciendi conſuetudine retineri poſſe crederetur. Quod vt ſuſpicioſæ illi antiquitati vnuſquiſque noſtrum facilè condonat: ita profecto Baſilius Magnus diligenter cauendum eſſe cenſet,ne huiuſmodi ſuperſtitione,aut etiam vocabulis Chriſtianorum animi occupentur.Qui enim in rerum euentis memoria repetendis Fortunam nominat, id efficit vt mundus & vniuerſum hoc quod conſpicimus, quaſi extra prouidentiam ſummi Dei eſſe iudicetur. In quo præclara ſunt illa quæ à Stoicis contra Epicureos latiſsimè explicantur. Nam ſi fortuita ſunt quæ quotidie hominibus accidunt, neque ſtare Nemeſis Adraſtia, hoc eſt, ſtatum & æternum rerum omnium decretum poteſt: neque colligatio, qua Deus ab omnibus ſæculis, ex Homeri ſentent

ſententia, ſucceſſus rerum humanarum æterno nexu & vinculo deuinxit. Neque enim ſi in aqua mortuus eſt Fabius, videatur illud aut non à Deo decretum eſſe, aut fortuitò obtigiſſe, quòd ille ad aquas poterat non venire. Sed ſi ab aquis abſtinuiſſet, & alio mortis genere è vita migraſſet, quod ſecus in illius fato eſſet factum, id quoque conſtans, æternum & ratum Dei conſilium poſſet appellari. Ac rerum futurarum ignoratio » in nobis fortunam parit, & quia variè in variis » hominibus euenta cadere perſpicimus, id à Deo in fatis poſitum non eſſe arbitramur: quod vt non eueniret, Deo longè antè certum erat & decretum. Quæ igitur fatis continentur, eadem nec mutari, nec perfringi queunt: quæ ſi aliter eueniant, iniuſtè in fatis recenſeri poſsint: cùm quod ſecus accidit, illud ex fati neceſsitate contigiſſe ſit putandum. accidat autem necne quamuis in opinatione videatur ſitum eſſe, quicquid tamen eueniet, id ex decreto contigiſſe putandum eſt. Itaque Auguſtinus in his libris quos contra Academicos conſcripſit; ſibi haud omnino placere ait, fortunam à ſe nominatam eſſe. neque enim eiuſmodi vocabulo eam deam quam variam & inconſtantem nobis fabulæ tradiderunt, ſignificare voluit, ſed fortuitam illam rerum humanarum rationem. Erit igitur in nobis fortuna & caſus: quòd certè ratio cogit fateri, ſi humanum iſtud & opinionem ſpectes: ſinautem ad æternam illam Dei ſummi prouident

dentiam rapimur verſabitur profectò illa, quam εἱμαρμένην Græci vocant. Ea eſt ex omni æternitate fluens veritas ſempiterna, ſeries & perpetuus cauſarum ordo: non tamen vt Stoici voluerunt, cum ex ſtato ſyderum aſtrorúmque motu cauſa cauſæ nexa aliquid ex ſe gignit. Sed vt Dei prouidentia certa neceſſaria & æterna in factis hominum ſtatuatur. quod & Auguſtinus in libris de ciuitate Dei multis verbis contra Ciceronem comprobauit. Nō eſt igitur aliquid factum quod non eueniſſe oportuit, & quod inſtat, etiam & illud futurum eſt. Ex quibus tamen non id effici volumus quod Soſtratus apud Lucianū à Minoë ſumma contentione petit: dum eorum quæ turpiter & flagitiosè egerit, non iure ſe ad pœnam expeti quiritatur: quòd ea facinora neceſsitate fati & propter antecedentes cauſas non ex animo geſſerit. quæ enim contra ius & leges facta ſunt, futura ſanè erant cum euenerint, ſed tamen à volente facta ſunt. Nam quæ turpia ſunt, non tamen minus Deo præuidentur: cui licet omnium mortalium voluntates longè ante ſint perſpectæ, non continuò tamen minus voluntates dicendæ ſunt. Erit ergo & bonorum & malorum lata differentia: neque iniuria iis qui rempublicam conſeruarint & auxerint honores & triumphi in ciuitate decernuntur. nam quæ præclarè geſſerint, etſi euentura erant, vt tamen euenirent ſingulari illorum virtute perfectum eſt. Sic & maxima

rat

ratione in ſceleratos leges animaduertūt: nam audeant maleficium necne, in illis poſitum eſt: hoc autem an illud faciant, quod conſequetur, id Deo Immortali longè ante fuerat ſcitum & perſpectum.

In Grillum.

Voluptatem immaniſsimus quiſque ſequitur lubens.




Qui tibi Grille feri ſtomachum mouere parētes?
Quæ te ſors miſeris terruit oſcinibus,
Vt te immunda iuuent fœdi veſtigia porci,
Et renuas iterum munus obire viri?
Quem ſemel in turpi retinet ditione voluptas,
Huius vel gratis vtitur imperijs:
Et quo plus demens eget aſſertore patrono,
Hoc mage blanda ſui vindicis ora fugit.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

QVEMADMODVM (vt inquit Cicero) iis qui ſe è Leucade Epiri promontorio in cõuallem demiſerunt,non omnino integrum eſt quo velint inſiſtere : ita qui ſe voluptatibus & animi morbis permiſerunt, neque ſi velint ſe in virtutis libertatem poſsint aſſerere, neque opinor ſi poſſint,velint. Tanta eſt enim apud nonnullos voluptatis opinio,tot in ea fruenda delitiæ & lenitates,vt contra illam imitatricem honeſtatis,ſapientiæ momenta à perditis & contemeratis hominibus nequeant ponderari. Et plerunque accidit,vt ei qui ſe totum ad eam rem applicauerit, ſummæ moleſtiæ perferendæ ſint:& tamen in calamitate & luctu turpitudo affert delectationem. Dionyſium ſuperiorem omni crudelitatis & flagitij genere impurum, audiuimus tanto metu & cruciatu inter ſuos verſatum eſſe, vt reiecta hominũ cuſtodia,quòd illis non ſatis confideret, corporis tutelam ad canes detulerit, & cultros metuens tonſorios,barbã ſibi candente carbone aduſſerit.Hic igitur tantum ex ſceleribus ſuis fructum capiebat, vt ſordes & vitæ indignitatem lubens & clade & periculo capitis ſui æſtimaret: neque à malè agendo propinqui diſcriminis reputatione poſſet reuocari. Qui ſi virtutis formam oculis corporeis potuiſſet contueri, credendum eſt voluptatem vel illius ſuffragio facilè dignitati fuiſſe conceſſuram.

Ferrum.

In miſeriam humanæ ſortis.



Cladibus in multis hominum traducitur æuum:
Sed ſt̄,at in acceſſu mortis inempta quies.
Hac duce uel miſeris ſubitò licet eſſe beatis:
Quam qui obiit, credo ne ſupereſſe velit.

ALIVD

Vitam hominis, ſimilem ferri poſuere rigori,
Qui cernunt variæ tela mináſque deæ.
Si ferrum exerces tandem conſumitur vſu,
Et patitur vitæ publica damna ſuæ:
Quòd ſi lethæo pateris reſidere veterno,
Et tabem ducit conteritúrque ſitu,
Et rubiginei ſentit diſpendia belli:
His potes humanum conciliare genus.
Si qua Cleantheæ nos ducunt acta palæſtræ,
Et retinent Samij dogmata ſancta ſenis,
Incipimus vitæ medio tabeſcere curſu,
Et nimio incauti pondere deprimimur:
Verum ſi ſtudio retinemur amabilis oci,
Hîc nos pituitæ peruius humor habet.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

VETVS fuit Salomonis ſapientiſsimi regis, atque adeo Sileni, & Ethnicorum ſententia
» Beatiſsimos eſſe eos qui nunquam in hanc vitam
» eſſent ingreſsi: proximè verò ad eandem felicitatem & illos pertinere, qui primum in lucem editi ſummo Dei immortalis beneficio his corporis vinculis eſſent liberati. Huius hominum calamitatis & talium miſeriarum magnum perdiu argumentum eſt, quòd qui primùm naſcuntur eiulatu & clamore futuris malis illachrymari ſolent, & dolorem quem aliquando ex concurſationibus huius ſæculi capturi ſunt, apud eos à quibus ad aſpiciendam lucem euocantur, velut teſtatione complecti. Vnusq́ue Zoroaſtres dicitur hora natiuitatis riſiſſe, cum ante decimum & quartum diem nemo vnquam riſum ſuſtuliſſe memoretur. Et ſi autem aliquando euenit, vt incommoda quæ in hominum vita ſolent accidere, aliqua felicitate vel proſpera fortuna leniantur: ſæpe tamen in res tam ſecundas incurrit euentus triſtis, cuius acerbitas etiam trium Neſtoris ætatum proſperitate omni, nequeat compenſari. Quæ cùm Cleombroto & nonnullis aliis fortiſsimis viris in mentem veniſſent, contra Pythagoræ legem, beneficium naturæ defugerunt. Quod ſi immortalis illa animorum ſeries præſtantiſsimæ rationis cõiunctione & vinculo ad diuinam illam mentẽ pertinens, iuſſu Dei in corpora noſtra ſparſa eſt, vt ex iſto inferiore globo cælum vnde eſſet profecta, & cæleſtia ipſa tueretur, ſemper aliquid inquireret, diſceret, meditare

ditaretur, & perfectam illam Dei notitiam quam aliquando futura vita eſſet nactura, ſtudio incredibili & diuinarum rerum cognitione anteuerteret, parum opinor feliciter cum his actum eſſe videbitur, qui turbulentiſsima iſta vita ærumnis, calamitatibus, doloribus corporis & ſummis ægrotationibus à veritatis & rerum maximarum perueſtigatione auocantur, vt illis nihil ferè cum animo, omnia autem cum corpore ſint. Quanquam enim ea debet eſſe hominum in euentis ferēdis cō ſtantia, vt nulli neque dolori, neque perturbationi cedant: eſt tamen miſerrimum eſſe aliquem tam effœto corpore & valetudine tam afflicta, vt in curationibus, pharmacis, & medicinis omnis illi ætas inanis & vacua elabatur, & nihil ei à tot negotiis otij tribui, quod ad legendum & intelligendum potiſsimum conferat. Nam ita viuere vt non ſit viuendum, miſerrimum eſt. Iam quo animo, „ qua conſtantia & fortitudine Paulus Apoſtolus „ in vitæ periculis verſabatur? at vir tantus mortem expetebat: quæ vel eo nomine à nobis deſyderanda eſt, quòd & nos his corporis ærumnis leuat, & ſecum immortalitatem affert, qua nihil homini deſyderatius & melius poteſt euenire. Non enim quanquam nobis ex edicto Domini ſit retinendus animus in cuſtodia corporis, continuò deſertor „ militiæ appellari poſsit, cui viuere iactura eſt, & „ mori lucrum: quique eò ſe citiſsimè velit ſiſtere, „ quò aliquando naturæ neceſsitate & præſcripto „ ſit venturus. Ac ne ſemper incommoda & aduer- „ ſos fortunæ caſus meditemur, quis inter tam va-

rias & diſcrepantes hominum de religione ſenten tias, non vitæ huius ſatietate impendio tenetur? quis tam à publicis commodis cogitationes defle xas habet, qui diuerſa hominũ ſenſa in rebus grauiſsimis audiens non ſibi vitam acerbam putet? quæ diuerſitas non tantùm in homines leuiter eruditos, ſed in præſtantiſsimos & doctiſsimos quoſque iandudum influxit: ex quorum numero qui præſtat, & ab altero diſſentit lubens, & ipſe non ſatis ſibi conſtat. Neque verò ſine multorum offenſione fieri poteſt, cum res eadem ab vno ad perniciem, ab alio ad ſalutem vocatur: eamq́ue alij pro ſcelere nefario, alij pro vita & præſidio ponunt.

In Vulcanum.

Sæpiſsimè mundiores, ruſticis & cocis eſſe ἀναφροδιτοτέρους, hoc eſt vti Venere minus propitia.



Non ego Vulcanus cupiã, aut Cillenius eſſe,
Sed mage Vulcanus Mercuriúſque ſimul.
At ſi te fatum ſimilem vetet eſſe duorum,
Dic vtra mauis conditione frui?

ALIVD.

Hiſpidus ardenti regnans Vulcanus in Aetna,
Quem ſibi vel generum pallidus Orcus emat:
Anne poteſt veneris tædas adiiſſe iugales?
Et χάριν æterno conciliaſſe thoro:
Quas nec Atlantei concors ſuadela nepotis
Auſa eſt Treicijs ſollicitare ſonis.
Cui lacera impexo pendet lacinia mento,
Quémque ſuum, pingui iure, culina facit,
O quoties cultis palpum riualibus egit:
Et retulit Paphiæ caſton & arma deæ:
Deluſit quoties pictæ tectoria linguæ,
Vicit & heroum lucida φίλτρα ducum.

PROBLEMA.

Quæris deſpectæ quæ tanta occaſio formæ,
Et clarum ingenij tam iacuiſſe decus:
Vt referant Cypriæ præſtantia munera diuæ
Queis nulla eſt patrio miſta lepore venus?
Scilicet iſta ſuas noſtri docuere puellas,
Qui niſi non meritis prædia ſacra ferunt.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

MIRETVR optimo iure quiſpiam præſtantiſsimas formas & omni corporis venuſtate deas, Venerem & χάριν in manu Vulcani fuligine & flamma ſquallidi conueniſſe: Mercurium autem qui ad aptam illam membrorum compoſitionem, etiam egregias eloquentiæ & doctrinæ laudes adiecit, nihil tale vnquam aſſequi potuiſſe. An quòd ita comparatum eſt, vt hominibus cultis & ſplendididis non ita ex animo & ſententia in amoribus fortuna reſpondeat, quàm iis qui ad omnia inepti & tardi nihil vnquam tale animo concupierunt? An quòd multa inſperantibus & minimè optantibus eueniūt, quę qui ad potiundū & ſpe, & cupiditate incredibili capiuntur, non poſſunt adipiſci? An quòd hodie indignis & inſulſis omnia ſunt prompta & parata: iis verò qui præclarè ſe geſſerint & promeruerint, magiſtratus, honores, officia, beneficia, omnia deniq; clauſa & obſignata? An quia mulieres, ne cui in ſuſpicionem non ſeruatæ pudicitiæ veniant, eorū potius deſyderiis inſeruiunt, qui ab amoribus iudicio multitudinis putantur eſſe alieni? An quòd illæ nocturnum ſibi obſequium deberi, in eos lege poſsint intendere, quos obſonatores, topiarios, mediaſtinos, & ad t ales diurnas operas conductos habent? An quòd qui ſunt elegantiores, ad illud muliebris officij genus videantur magis imbecilli? An quòd ea eſt erga nos naturæ benignitas, vt ſemper aliquod incommodum beneficio com-

penſet,vt quibus animi vim & ingenij ornamenta nó præſtitit,eos fortiſsimis lateribus,validiſsimo robore & corporis præſidiis confirmet, vt mulierum cupiditatibus,& proli diligentem operam nauent:ex quo euenire poſsit, vt ea corporis immanitas illis apud mulieres ad gratiam ſuffragetur.

In Platonem.

Honor debitus viro docto.



Aſpice vt eximius niueis ad templa quadrigis,
Ante hac non ſolito pergat honore Plato.
Ecce Syracuſia princeps immanis in ora
Vittatam mittit (regia dona) ratem.
Heu quanta eſt linguæ, quanta eſt præſtantia cordis,
Cogat vt infrænos ponere colla duces.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

PRAESTANS hominéque libero digna re-
rum maximarum cognitio & doctrina, qui
hominem in ſolitudine, neque ſolum eſſe, & etiam
procul à reipublicæ gubernaculis, ſine dignitate
„ viuere non concedit. Neque enim quicquam ho-
„ minum induſtria ad animos colligendos peperit
„ accommodatius otio literarum : quarum tanta
inter vtrunque extremum temperatio eſt, vt qui
in illis verſetur, neque verè in otio, neque in ne-
gotio intelligi poſsit: & tamen iis qui in vtroque
vitæ genere verſantur inſtituti dignitate facilè an-
tecedat. Itaque Pythagoras qui primus philoſo-
phiam in Italiam inuexit, & præſtantiſsimis ar-
tibus inſtitutiſque exornauit eam Græciam, quæ
Magna dicta eſt, interrogatus à Leone principe
Phliaſiorum, quinam eſſent philoſophi, & quid
inter eos & reliquos intereſſet, reſpondiſſe fertur
„ vt Cicero author eſt, Similem ſibi videri vitam
„ hominum, & mercatum eum qui maximo ludo-
„ rum apparatu, totius Græciæ celebritate habere-
„ tur. Nam vt illic quidam corporibus exercitati
„ gloriam & nobilitatẽ coronæ peterent, alij emen-
„ di vendendique lucro & quæſtu ducerentur: eſſet
„ autem quoddam genus eorum, idque maximè in-
„ genuum, qui nec plauſum nec lucrum quærerent,
„ ſed viſendi cauſa venirent, ſtudioſeque perſpice-
„ rent, quid ageretur, & quomodo. Ita nos quaſi in
„ mercatus quadam celebritate ex vrbe aliqua, ſic in
„ hanc vitam ex alia vita & natura profectos, alios
„ gloriæ ſeruire, alios pecuniæ: raros eſſe qui cæte-

omnibus pro nihilo habitis, rerum naturam »
ſtudioſè intuerentur, hos ſe appellare ſapientiæ »
ſtudioſos. Et vt illic liberaliſsimum eſſet ſpectare »
nihil ſibi acquirentem, ſic in vita longè omnibus »
ſtudiis contemplationem rerum cognitionemque »
præſtare, & eos qui ſe rerum maximarum peruestigationi dedidiſſent, facilè cæteris hominibus anteire. quæ etſi non modo naturæ, ſed dignationi hominis accommodata eſſet, nonnullos tamen ea perculit maieſtate. Huius opinor offenſi homines noſtri, filios ſuos eoſque quos in clientela & poteſtate retinent, non patiuntur in literis cõquieſcere & verſari. hos ſi ita animo affectos eſſe videant, vt in præſtantiſsima illa ſtudia toto pectore incumbant, in ſuis domibus malè accipiunt. literarum otio diſtineri non probant, niſi quatenus ex eo ad rem familiarem amplificandam adiumenta petuntur. Antiquitatis & rerum humanarum notitiam non putant ad virum ſapientem pertinere, quòd ea cognitio parum admodum ſit quæſtuoſa. præclari homines qui honeſti & virtutis rationem vtilitate metiuntur: neque enim ſi quædam virtutes rei domeſticæ fructuoſæ non ſunt, ideo minus videantur perhibendæ. Quanquam non tam profligata & afflicta Philoſophia eſt: neque qui in ea verſantur tam ærumnoſi & miſeri, vt ſi eis ſit commodum pecuniam facere, nõ poſſint: quod declarauit Thaletis ſapientiſsimi viri authoritas, qui cùm ex antecedentibus naturæ cauſis facilè annorum ſequentium ſterilitatem intelligeret, vniuerſam oleam illius animi coëmit, ex qua

ex qua vir philoſophus & contemplationi deditus ingentem pecuniam refecit. Non enim ſi paupertatem colere & paruo cõtentum eſſe philoſophicum aut Chriſtianum eſt, ideo qui ſapientes aut Chriſtiani ſunt, pecuniam facere non poterũt:
„ ſed tamen pietatis & perfecti cuiuſdam eſt, cùm
„ id poſsis nolle. Ac quia ſunt nonnulli, qui vſura gloriæ mirificè delectantur, illis certè ex eodem virtutis genere ad laudem & commendationem patefacta via eſt. Nam & Dionyſium Syracuſanum, cuius præter cæteros nobilitata eſt crudelitas, audiuimus tantum honoris & iudicij Platoni detuliſſe, vt illi nauem vittatam mitteret, eũque ſummis muneribus & incredibili liberalitate honoraret. Pompeius verò Magnus hoc honore Poſſidonium Stoicum philoſophum affecit, vt ad illum domum venturus, lictores demiſsis faſcibus adſtare imperaret. Et Ennio poëtæ Africanorum familia hoc benignitatis largita eſt, vt illi mortuo ius familiaris ſepulchri conceſſerit. Tantumq́ue Alexander Magnus Pindari ſtudiis & doctrinæ teſtimonium reddidit, vt in Thebarum obſidione familiæ illius pepercerit. Fertur quoque Seuerus Imperator Oppiano in ſingulos verſus au-
„ reum appendiſſe. Adeò regium eſt eos honori-
„ bus & beneficiis proſequi, per quos ſummo-
„ rum virorum res fortiter præclareq́ue geſtæ
„ immortalitate & memoria ſempiterna conſi-
„ gnantur.

In Co

In Corycium.

Nihil eſt, quod labore non aſſequamur.



Aſpice vt aſsiduo ſitientia culta labore,
Corycius ſubigit nocte dieq; ſenex:
Et ducit ſulcos, & glæbas occat inertes,
Et ſterilem iniecto ſtercore nutrit humum.
Qui ſe igitur muſis ducit lachrymantibus ortũ,
Diffidítque ſui viribus ingenij:
Tranſigat inſomnes noctes, vigilíque labore
Naturæ ſuperet crimina nota ſuæ.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

QVEMADMODVM multa accidunt in hominum vita, quæ deliberanti & cogitanti facillima appareant, ſed tamen nihil experienti minus: ita & nonnulla ſunt quæ hominibus in ſpē cogitationemq́ue defixis extra facultatem videātur eſſe ſita, eadem ſi ad contentionem & actum reuocentur, induſtria laboreq́ue vinci poſsint. Vt
» enim dicitur, volenti nihil operoſum aut diffici-
» le eſſe, ita ei qui neruos animi in aliquam rem cō-
» tenderit, minimo negotio etiam ardua ſuperan-
» tur. Et quanquam Græcis Troiam obſidentibus nonus annus propè iam ſine gloria eſſet confectus, tamen Neſtori & Vlyſsi ſapientiſsimis viris deorum & hominum teſtimonio laudi datum eſt, quòd Græcos animo fractos labātesq́ue, & iam de reditu conſultantes cōfirmarint, & magnifica oratione reliqua belli ex Chalcantis vaticinio conficere incitarint. Etſi enim graue eſt multa contendentem nihil proficere, eſt tamen longè turpius, eum qui ſe tot laboribus diu confecerit, re
„ infecta conſilium deponere. Nam vt quidq; præ-
„ ſtantius eſt, hoc certè difficilius: & quò plus ope-
„ ræ in re aliqua poſueris, hoc in ea fruenda maior voluptas conſequetur: fereq; rebus omnibus quæ aliqua laude dignarentur, difficultatē natura attribuit, vt eorū qui animi magnitudine excellūt, virtus inter homines ſtupidos & remiſſos eluceret. Quòd ſi qui ſunt qui tātę ſe à natura tarditatis teneri putent, vt à rerū cognitione & doctrina propemodum arceantur, eſt tamen opinor aliquid,

quod

quod labore & aſsiduitate cōſequi poſſunt. Nam quæ vnquã tellus, quis ager aut fundus tam ſterilis eſſe potuit qui non labore excolatur? Quæ itē hominis mens, quod ingenium tam incultum & horridum, quod non opera & vigiliis ſplendeſcat, & quaſi ſubigatur? Demoſtenes quidem vir & eloquentiæ & ſententiæ in populo Athenienſi princeps, eo vitio à natura laboraſſe dicitur, vt eius artis cuius antiſtes eſſet, literam primam efferre non poſſet. At is vitium illud adhibito ori calculo emēdauit: tantumque accuratione & diligentia perfecit, vt æquales ſuos, qui tum in eodem eloquentiæ genere verſabantur, cũ cæteris omnibus rebus, tũ vocis ſuauitate decoroq; actionis, etiã aduerſariorum teſtimonio ſuperaret.

N

Dipſas.

In παρθενοπίπας, & ſectatores meretricum.



Imbibit humorem lethali noxia morſu
Dipſas, & in venas frigida virus agit:
Paulatímque ſitim miſeros effundit in artus,
Et ſicca indignis conficit oſſa modis.
Inſani meretrix cenſum expiſcatur amantis,
Poſcit & accenſæ pignus amicitiæ.
Captáque propoſitis retinet præcordia philtris
Huius, & immemorem non ſinit eſſe ſui.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

OMNINO certè fœminarum inſtitutis & legibus teneri, miſerum & indecorum eſt: ſed in iſto genere nulla eſt aut turpior, aut infeſtior ſeruitus, quàm eorum qui ſe flagitiosè ad alicuius fœminæ amores contulerunt. Nam quid in hominum prouentibus tam ſanctum eſſe poteſt, quod non ab eiuſmodi ſcortis violari, quid tam ſacrum aut religioſum, quod non pollui fœdarive queat? Quæ enim ærario ſanctiori, hoc eſt patrimonio Chriſti referri debent, ab his ne mulieres quidem iſtæ manus abſtinere poſſunt: quibus non ſatis eſt ſacras oblationes exhaurire (vt de diis illis qui quondam tempore Danielis apud Babylonem colebantur, accepimus) niſi etiam & ſportulas & ſi quæ ſunt alia quę recuperatoribus honoris cauſa dantur, ſibi depoſcerent. Sed tamen quia vt quiſque bonitate præſtat, ita minus alios improbos ſuſpicatur, Chriſtiana eſt & plane laudanda eorum exiſtimatio, quibus mulieres quæ magnorum hominum porticibus & foro vti ſolent, non continuò improbantur. Nam & Pontificum proprium eſt, & cum Euangelicis illis præceptis magnopere coniunctum, viduas obſequio meritiſque retinere. Cui ſententiæ canoniſtæ minimè aduerſantur, apud quos ex æquitate quadam prætoria relatum eſt, clericum qui arctius mulierem fuerit complexus, non ſceleris alicuius, ſed benedicendi cauſa (ſic enim loquuntur) ex benigna interpretatione, id

videri admiſiſſe. niſi forſitan & illi in hoc quęſtionis genere, teſtes parum idonei, & non omni exceptione maiores iudicari poſsint, quòd illorum
„ magnopere interſit. Sed tamen quia vt quiſque
„ eſt optimus, ita ſe maximè virum bonum & eſſe
„ & nominari vult, cauendum erit ei cuius vita in luce omnium poſita eſt, ne qua illum ex mulierum aditu infamiæ vel minima ſuſpicio attingat. Nam omnino negligere quid de nobis dicant homines, diſſolutum eſt. Præterea vt Heſiodus dixit.
„ Ὃς δὲ γυναικὶ πέποιθε, πέποιθ᾽ ὅγε φιλήτῃσι.
„ Qui fidit, inquit, mulieribus, & is furibus fidem habet. quod tamen de his dictum exiſtimamus, quarum vita ad omnem licentiam & libidinem parata eſt, à quibus qui Deo acceptus eſſe cupit, facilè ſe liberabit, vt inquit Salomon, qui verò ſceleratus eſt, capietur.

In tabulas Hipparchi.

Πάντα ἰδὼν Διὸς ὀφθαλμὸς καὶ πάντα νοήσας.



Lynceus in medijs caſtris Hipparchus oberrat
Et deſertores conijcit in tabulam,
Omnia perluſtrat, nihil ille relinquit multum,
Imperat & miſeris ſtigmata digna reis.
Non potes æterni tabulas cælare tonantis,
Omnia ſunt oculis crimina nuda ſuis:
Quæque latent vigiles miſeri ſectoris ocellos,
Cernit ab Aethereo maximus ille polo.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

QVI æternam Dei immortalis prouidentiã ſermonibus & diſputationibus ſuis conuellere conati ſunt, nulla re magis reliquos homines tam abſurdæ diſciplinæ adiungi poſſe putauerunt, quàm ſi ſcelerum omnium impunitatem ſumma contentione prædicarent, & vulgus imperitum velut propoſita vtilitate demulcerent. Nam ſi ad mortalium facinora & ſordes diuina illa virtus quaſi ſopita putatur conniuere, ſi nullis noſtris aut beneficiis, aut malefactis impellitur, ſi inferiora iſta non curat, quis tam à natura bene informatus eſt, qui in ſumma animi ægrotatione non lubens deſipiat, & non aliqua peccandi illecebra capiatur? Vt enim Pythagoras tum maximè pietatem cæteraſque virtutes in animis noſtris verſari ait, cùm rebus diuinis operam daremus: ita cuius ſtudium malè agendo non erectum retinetur, cùm ab actionibus noſtris Deum alienum eſſe ſuſpicamur? Itaq; ſapientiſsimus Thales hoc omnibus perſuaſum eſſe debere exiſtimauit,
„ deos omnia cernere, & deorum plena eſſe omnia. Ex quo neceſſario ſit euenturum, vt & meliores ſimus, & ad omnia pietatis virtutiſque officia pa-
„ ratiores. Quia verò magna vis eſt conſcientiæ (vt
„ ait ille) in vtranque partem, euenit certè vt hominibus probis rectè actæ vitæ recordatio ſit iucundiſsima: ſceleratis autem, quorum malè agendo vita diſtricta eſt, ſuæ perpetuò occurrant iniuriæ: vt ducere animam de cœlo, niſi in ſummo luctu & mœrore non queant. Neque quiſquam vnquam tam

tam flagitioſus eſt repertus, qui nihil ſibi à diuino numinè metuendum eſſe iudicaret. Nam & is qui omnia Græciæ fana ſpoliarat Dionyſius, ita ſuis delictis terrebatur, vt noctes & dies pœnam antè oculos verſari exiſtimaret. At is in tanta flagitiorum impuritate, ſummi Dei prouidentiam nè excluſit quidem: qui cùm templo Locris expilato ſecundiſsimè Syracuſas nauigaret, videtiſne (in- »
quit) amici quam proſpera nauigatio ſacrilegis, »
à diis immortalibus tribuatur. Etſi enim patien- »
tia & benignitate Dei abutebatur ad conuitium, quodammodo tamen concedebat verſari quandam in humanis rebus illius numinis præſcientiam curam, & pronœam, quæ omnia noſtra ambitu ſuo & maieſtate contineret. Neque enim ſi homines omni criminum macula contemerati feliciſsimè curſum tenent, continuò Deus optimus maximus tantam impietatē aut nō videre, aut nihil curare ſit dicendus.

Aſpis.

Amicitia poſt aras.



Non prius è fouea viſu truculentior aſpis
Exit, quàm comitem ſenſerit eſſe ſibi:
Vt ſi fortè hominis violentis occidat armis,
Vindicet hæc tandem triſtia fata comes.
Vnuſquiſque ſibi fidum conquirat Achatem,
Cuius poſt aras duret amicitia.


NARRATIO PHILOSOPHICA.

EGREGIVM immortalitatis decus,& mea ſententia caſtellanis omnibus triumphis anteponendum,tam ſanctè pieque amicitiam alicuius coluiſſe, vt illi quibuſcunque rebus,neque gratía,neque officio,neque voluntate defueris . Neque verò minus Theſei & Pirithoi,Oreſtis & Pyladis,Damonis & Pythiæ amicitia veterum ſcriptis & hiſtoriis celebratur, quàm eorum imperatorum virtus,qui patriam ſuam exterarum nationum ſpoliis & triumphis ornauerunt . Quo in vinculo tantum ius & fides,tantum religio valet, vt ad duorũ mirificam coniunctionem ne tertius quidem poſſit accedere.Nam quamuis non vulgare eſſet Dionyſij tyranni erga Damonem & Pythiam beneficium,qui vitam illis donauiſſet quam adimere potuerat,non tamen præſtantiſsimo illo amicitiæ nexu obligari potuit : quòd ſummum beneuolentiæ ,, tuendæ ius ex tribus conſtare nequit.Huius in na ,, turis hominum tanta vis eſt & poteſtas,vt qui verè amet,dum amico ſuo officioſus eſſe cupit, neque ſe,neque ſua velit meminiſſe : & coniunctionem illam non modo clientelis&fortunis,ſed etiã vitæ anteponat . In quo verè Chriſtianus animus ,, intelligitur, ſic alteri prodeſſe vt etiam ex iactura ,, tua te fructum & commodum capere arbitrere. ,, Neque ſunt audiẽdi illi(nollem homines noſtros) qui tantum vtilitate ſua amicos complectendos putabunt:quoſque non ipſa honeſti ſpecie,nõ pietate,non generis cognatione, ſed propoſita vtilitate ad beneficentiam adduxeris . Nam et ſi ratio

bene merendi eam habet legem,vt ſemper recipro cetur,peſsimè tamen in amicitia res geritur, cum ſola commodorum expectatio ad officium exuſci tat.In eo enim ſimulationi amicitia præſtat,quòd ſua ipſius gloria &mercede contenta eſt:in qua & illud prȩclarè dicitur,extinctos nos in amicis quo dammodo ſupereſſe & extare, quorum ſtudio & diligentia in ſummo liberorum luctu & negotiis orbitas noſtra ſarciatur.Nam plerunqne amicitiȩ & neceſsitudines quas hæreditarias à patribus ac cipimus quiddã ſecũ afferunt vberius,quàm locuples hæreditas.Et multa ſunt quæ pecunia & patrimonio paran- tur , at amicitia ne- quit.

In helluones librorum.

Aliquando feriandum.



Protogenes nimium picturæ intentus inani,
Non norat dextram tollere de tabula.
Qui genium fraudas & iuſti chœnicis vſum,
Vt poſſis ſtudijs inuigilare tuis:
Obductáſque ſitu tractas ſine puluere chartas,
Non metuis fati conſcius eſſe tui?

NARRATIO PHILOSOPHICA.

CATONEM eum qui poſteà Vticenſis dictus eſt, Marcus Cicero librorum helluonem appellauit, quòd doctrinæ ſtudia nũquam intermitteret, & quantum illi forenſium negotiorum labor otij tribuebat, ad legendum conferret. In iiſdem literarum ſtudiis immori audiuimus C. Plinium, qui omne tempus ſibi perire affirmabat, „ quod non rerum magnarum contemplationi im„ penderet. Qua in ſententia principes illi philoſophi fuerunt, qui cùm ſe à publicis negotiis remouiſſent, animum ad veritatis cognitionem accommodauerunt, & dies noctéſque in contentione verſabantur. Quod etſi laudandum & glorioſum eſt, erit tamen ei qui ita animo eſt affectus, omnino videndum, ne qua ſua iactura & valetudinis offenſione illud oneris ſibi imponat. Sed forſitan hominibus diſcendi ſtudio inflammatis difficile factu fuerit rationem ſui habere, ſeque à mirifica illa dimicatione reuocare. In quorum vitam per media literarum ſtudia velut quadrigis vehentem, ſi qua miſera fortuna ægritudinis incurrerit, diſcunt certè ſuo incommodo, quantùm interpoſita remiſsio ad ſanitatem fuiſſet profutura. Nam etſi contentioni quies incredibiliter aduerſetur, accidit tamẽ vt illa maiorem in modum contentionem iuuet, eoſque qui in negotio ſunt, maiores poſtea ad rem gerendam efficiat. Neque verò iis qui opere diſtinentur minus peruidendum erit, quomodo laborem ſuum mediocritate & remiſsione leniant,

quàm

quàmvt facilè quod volunt, aſſequantur. Habet e-
nim ſæpiſsimè nimis operoſa cócurſatio tar
ditatem, & qui ſine intermiſsione in a-
liquam rem fertur, interdum à cal
ce ad carceres re-
uocatur.

In ἀστόμους poëtarum prurientium.

Ex Polycleto.



Sic cœnum, artificis medios permanat ad vngues,
Hunc vitæ damnas ô Polyclete modum.
Effuge laſciui ſcalpentia ſcripta poetæ,
Adpingunt luteas vnguibus illa notas:
Talia natiuum lædunt monumenta pudorem,
Atque inculpatis moribus officiunt.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

PLATO grauiſsimus veteris ſapiẽtiæ antiſtes, è re ciuitatis,quam ille præclariſsimis fundabat inſtitutis,eſſe exiſtimauit , poëtas & reliquos voluptatũ artifices procul à republica amandare. Qui enim dum magnam doctrinæ & virtutis ſpeciem præ ſe ferunt , imprudentes fallunt,iis mea ſententia non debet eſſe in ciuitate locus . Honorem quoque huic hominum generi antiquitus nõ fuiſſe,M.Catonis declarat oratio , in qua ille pro ſcelere Nobiliori ponit, quòd conſul Ennium duxiſſet in prouinciam.Sed iſta opinor nimiùm ſtoica & ſeuera : Erat enim poëta ille , vt accepimus , »
haud magna in re,ſed fidei plenus. Nam ſi ad pœ- »
nam conſtituendam aut decreta ferenda irati non debemus accedere,æqui certè & placati in illos eſſe debebimus,quorũ opera non modo ad res magnorum virorum memoriȩ mandandas,ſed ad hominum nefariorum flagitia verbis coërcenda, vtilis reipublicæ eſſe poteſt . Neque verò mihi omnino perſuaſum eſt , Platoni in eo albo poëtas præſtantiſsimos fuiſſe , quorum ſcriptis legentium animus,non modo ad turpiſsimi facinoris cogitationem non deducitur , ſed incitatione quadam ad virtutem efficitur propenſior. Itaque Alexander Macedo , cum in Sigeo ad Achillis tumulum aſtitiſſet, felicem eum prædicauit , cui Homerus tantus rerum à ſe fortiter geſtarum præco contigiſſet . Is enim ſummi viri hiſtorias tanta cum gloria eſt perſecutus , vt difficile factu ſit iudicare , vtri

plus laudis ex illo ſcriptorum genere ſit allatum. Nam vt facere laudanda magnopere glorioſum eſt, ita certè & illa prodere literis ad eandẽ fermè commendationem accedit. Vnde & apud Græcos mos valuerat, vt in conuiuiis poëtę adhiberentur, qui magnorum virorum laudes poëtica illa facultate recitarent. Et Simonides parum gratiæ à Scopa dicitur iniiſſe, quòd in eo carmine, quod pecunia ſe in honorem Scopæ facturum receperat, nõnulla de Tyndaridis honorificè prædicaſſet. Sed poſtquam in perhibendis præclarè geſtis, poetarũ ſtudia ſunt neglecta, homines quoque (vt ait Plinius) facere laudanda deſierunt. Non enim à præſtantibus & magnis viris poſteritatis cõſolatio repudianda eſt, neque omnino gloria negligenda, ſi modo ex benefactis & virtutis actionibus quæritur. Erunt igitur modis omnibus in republica tuẽdi, per quos plerunq; accidit, vt homines ſtudio gloriæ inflammati, facere ſcribẽda non recuſarẽt. Sed qui ita ſcribunt, vt legentibus illecebram peccãdi afferant, qui hominibus ſatis à natura in libidinem propẽſis voluptatũ ſtimulos admouẽt, qui deteſtanda quæque flagitia, quæ ne prohibere quidem propter verecundiam veteres legislatores voluerũt, ob oculos proponũt, qui naturæ & virtutis omnis ſeminaria in nobis reſtingunt, quid, quæſo illis cũ optimis ciuibus cõmune eſſe poſsit? Odioſum verò eſt, quod à nonnullis dicitur, non poſſe poemata niſi pruriant, placere: quaſi ipſa virtutis forma nõ ſit omni corporis voluptate aut amabilior, aut magis expetenda:

In vete-

In perfunctoriè iudicantes.

Μήδε δίκην δικάσῃς πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς.



Diceret Aemathius populis dũ iura Philippus,
Maximus inuaſit torpida membra ſopor.
Tandem experrectus ſortes coniecit in vrnam,
Et cauſa ignota iudicat ille reum.
Dum ſudant rauci tenebroſa in lite patroni,
Sæpe Senatorum corpora ſomnus habet.
Quî potes obſcuræ momenta expendere cauſæ,
Si lite in media membra ſopore ruunt?

NARRATIO PHILOSOPHICA.

EGREGIA illa & præſtantiſsimo ſenatore digna ſententia, qua apud Homerum Somnus Deus Agamemnonem regem in quiete his verbis affatur,

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα.

" Non decet, inquit, totam noctem dormire conſi-
" liarium virum. Neque enim ad reipublicæ tempe-
" rationem, aut iuris reddendi authoritatem ſatis affert inſtrumenti ea quæ in re familiari gubernanda recepta eſt accuratio: ſed quiddam cumulatius & plenius poſtulat ciuitatis tuendæ ſtatus, ad cuius moderationem qui accedit, etiam rebus pacatis nunquam ſine cura & ſollicitudine eſſe debet. Nam cum erit publicis negotiis & opere vacuus, tum demum oportuniſsimum erit tempus de negotio cogitandi, vt de Aphricano Panætium dicere audiuimus. Semper aliquid inquiret & diſcet. ſemper futura prouidebit, dieſque & noctes in arctiſsima cogitatione ponet, vt his malis aliqua ratione mederi poſsit, quæ celerius opinione hominum ſolent obrepere, vt ad vtranque fortunam egregiè ſit armatus. Vnde in pace & florentiſsimis ciuitatis rebus, de bello cogitabit. ſicque nihil omnino poterit accidere, quod non longè antè ſit meditatum & præuiſum. Itaque homini ſenatori & publicis magniſque rebus diſtẽto, tantò turpius eſt antelucana opera à fabris vinci, quantò ille ſedentariis & artificibus dignitate præſtat. Alexander quidem cùm pomeridiano tẽpore dormiiſſet, quòd putaret opinor imperatori

ſum

ſummo naturæ neceſsitatibus parcè inſeruiendum eſſe, dixit ſe tutò & ſine culpa dormiiſſe, quòd vi- » gilaſſet Antipater. Quo minus erit ignoſcendum » iis qui de maximis rebus iudices accepti, in ipſa iudicij contentione, reliquo ordine omni & populo inſpectante dormiunt, & momentis cauſæ vixdum libatis ſententiam ferunt. Felix certè & immortalitate dignum ingenium, de his rebus hominem ſomno oppreſſum iudicare poſſe, ad quas audiendas qui ſe attentius accommodauerint, ne illi quidem ſatis ad iudicandum parati eſſe poſſint. Neque verò ſperandum eſt vt illi publica negotia domi curæ ſint, qui inter ipſa ſubſellia & iudicio iam conſtituto in ſomnũ conuertitur.

Vetus nuptiarum ritus.

In licentiam virginum.



Mos fuit vt iuſtis nuper ſocianda hymenæis
Multoties liquida perlueretur aqua.
Ecquid ita? vt caſtæ virgo ſacrata Dianæ
Prodeat in ſanctum non violata thorum.
Credita virgineæ cui ſunt arcana iuuentæ?
Ecquis ſcire dolos paruáque furta poteſt?
O quoties facili mentita puella marito eſt
Falſa coloratæ ſigna pudicitiæ:

NARRATIO PHILOSOPHICA.

TANTVM ſemper apud veteres illos matrimonij valuit religio, vt nemo niſi diis approbantibus,& aliquo ſacrificio placatis, ſe nuptiis alligaret.Iam verò ea quæ in manum viri conueniebat,ad ipſam aram aqua conſpergebatur, vt illius pudicitia & anteactæ vitæ integritas non in tenebris latere,ſed teſtata omnibus & in oculis totius ciuitatis poſita eſſe videretur:& ad colendam etiam in matrimonio caſtitatem quaſi inſtructior accederet.Fit enim quodammodo vt quiddam cumulatũ de illius caſtitate futuro matrimonio nobis promittamus,quę in iuuẽtute longa officiorũ omniũ conſtantia & fide,ſibi continentiæ nomen peperit ſempiternum.Ac in vetere illa lege, cuius deſcriptio à Domino Moſi data eſt, tanti eſt habitum vxorem virginem,& nulla impudicitię macula contemeratam in mariti domum perduci, vt viro de mulieris ſuæ exiſtimatione laboranti, & ante matrimonium violatam ab illa pudicitiam ſuſpicãti,poteſtas à lege facta ſit de ea re apud Cõſilium querelam perferendi, & primam vxoris pueritiam ad iudicium famæ depoſcendi. Habet enim muliebris ille animus virtutis ſignificationem,quæ tamen ſæpiſsimè & tempore,& multis poſtea euentis collabaſcit,neq; locum ſuum apud homines tueri poteſt.Nam quantis ſimulationum inuolucris tegi,& quaſi quibuſdam velis obtendi earum naturam exiſtimamus, quibus plus ſtudij & operæ in externis illis blanditiis,quàm in vero amicitiæ cultu eſſe ſolet.Neque verò ea quæ ſem-

per priuatim & domi vixit, ſubitò continens appellanda eſt. Nam ſicut in comitiis & prenſandis magiſtratibus dici ſolet, nox vna interpoſita perturbat omnia,& ſæpe vno temporis momento labefactatur,quod diuturna probitatis apparitione,ab illa ſit perfectum. Vt enim non tantum poëtis elaborandum eſt, vt aliqua parte placeant,ſed id etiam efficiendum erit, vt perpetua fabula & vſque ad extremum delectent: ita nunquam aliqua caſtitatis & continentiæ laudem feret, niſi extremum vitæ actum perpetuæ integritatis conſtantia confecerit. Sed vt animorum omnium, ita certè muliebrium maximè iudicium difficilè eſt:neque de ea longa probitatis opinio eſſe poteſt, cui omnia in veſtis compoſitione, ſaltationibus cœtu & rerum fortuitarum appetitione poſita ſunt.

Ad Trapezitam.

In Aulicos.



Dum tu intentus inis rationem, calculus vnus
Hac vice mille valet, qui modo treſsis erat.
Turgidus aurata regum qui degit in aula,
Et cui magnanimi principis aura fauet,
Sæpe peregrinis inglorius exulat auris,
Fortunáſque eius flebilis haſta quatit.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

DECLARAVIT iamdudum *διονύσιος ἐν κορίνθῳ* quàm parum tuta eſſet illorum nauigatio, qui multitudinis iudicio & populari aura iactati, nunquam cupiditatum ſuarum portum inuenire potuerunt. Tantò enim eorum conditio miſerior exiſtimanda eſt, quantò turpius habetur aliorum nutu & euentis rationem vitæ noſtrę circunſcriptam teneri. Vt enim hic fortis, hic ſapiēs, hic moderatus eſt, hic denique viuendi rationem bene comparatam habet, qui ſiue in aduerſa, ſiue in propitia fortuna, perpetua quadā animi æquabilitate & conſtantia paret & obedit præcepto
,, illi veteri, vt lætetur aut mœreat nunquam, ſed in
,, ſeipſo omnem ſpem reponat ſui: ita hic ſtultus & amens eſt, qui tam ex aliorum iudicio & voluntate pendet, vt eodem die quacunque mutatione irrepente & fortunatus & miſer dici poſsit. Clito amico & neceſſario ſuo Alexander valde familiariter vtebatur: at is à tam intimo, victus credo iracundia, ne manus quidem abſtinere potuit. Sed in hominis boni & ſapientis iactura dolendum omnibus, atque ipſi Alexandro fuit. Adeo non ęſt tutum apud principes in amicitia & clientela eſſe. Nos verò quàm mirifica voluptate impellimur, cum noui in republica motus impotentes iſtos & rerum ſecundarum proſperitate elatos, aliquo caſu perculerint. Qui enim neque ex philoſophiæ præceptis, aut ſi placet ex Euangelica diſciplina, neque ex aliorum ſucceſsibus memoria repetendis meliores fiunt, quorum animus ad virtutem


& mo

& moderationem omnem obfirmatus eſt, qui in populi damno & iactura non mouentur, ferè accidit vt antequam è vita migrent periculo ſuo rerum humanarum & honorum inconſtantiam ediſcant. Quod non in eo eſt, vt hoc illis in pœna malè actæ vitæ ponam, & quaſi iudicium Dei optimi maximi anticipem, qui ſæpe fortiſsimos ciues eiuſmodi calamitate pepulit: ſed non poſſum non lætitia affici, quoties alicuius caſus acerbitas id ſecum boni affert, vt inſolentes homines iuuenili audacia & inani quadam potentia exultantes, primùm coërcere, deinde etiam ad æquitatem animi poſsit deducere. Pulchrum eſt certè regum clientelas iactare poſſe, glorioſum eſt maximos apud principes magiſtratus gerere: vtile reipublicæ eſt ſeſe iis qui pręſunt ad conſulendum accõmodare, neq; viro bono recuſanda eſt rerũ gerendarum cura: ſed iis qui in eo genere ſe exercebunt erit diligenter videndum, vt præclarè in officio ſint, & neminem eorum lædant, quorum vtilitatibus procurandis quaſi tutores lege principali dati ſunt. Nam ſi ita ratio & natura poſtulat, vt qui belluis & feris ſunt præfecti, earum commodis diligenter ſeruiant, quid eos facere oportebit, quibus æqualium ſuorũ temperatio attributa decreto eſt? Sed quorundam hominum appetitus in eo quod populo calamitoſum eſt, ſæpe triumphat & exultat, neque ſibi vnquam ſatisfacit, niſi multorum ciuium caput & fortunas offenderit. Quorum mores quia ad tantam cupiditatem incubuerunt, vt totam reipublicæ moderationem vtilitatibus ſuis

metiantur:ferendum eſt æquo animo, ſi nonnulla in eorum vitam incurrant, quæ rebus proſperis fracti poſſe euenire nunquam erant ſuſpicati. Fundum ærarij & inopiam auribus multitudinis inculcant, ſed moderationis eſt & temperantiæ, proſcriptos magiſtratus & vænales pati in fiſcum deferri, & ex eis publicè pecuniam refici. Qui autem illos à principibus impetrãt, & poſteà populo addicunt, vt pecuniam quam negotiationis nomine ab emptoribus abſtulerint, in rationes ſuas referant, habent profectò quod de ſe querantur. Non eſt enim conſentaneum, eum qui in exhauriendo ærario valde occupatus eſt, alij afflicta & profligata vectigalia reponere.

In nodum Gordium.

Virtuti fata plerunque obſtant.



Aſpice vt implicitos, ad tēpla immania nodos,
Nec queat Aemathius ſoluere vincla puer.
Gordius eſt nodus, quem ſi diſſoluere poſsit,
Ex Aſia ſolus regia ſceptra feret,
Sed cui nodorum primordia cognita non ſunt,
Tentatum toties quî reſerabit opus?
Non quiuis ſuperare poteſt ingentia regna,
Sed manus aut populus cui dare fata volēt.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

LYSANDRVM Lacedæmonium ferunt, cùm Sardis ad Cyrum legatus à ſuis veniſſet, ab eodem rege in conſeptum quendam agrum deductum eſſe: vbi cum proceritates arborum & mirificas deſcriptiones valde eſſet admiratus, intellexit eos ordines ab ipſo Cyro eſſe digeſtos. Tum intuentem ornatum Perſicum & purpuram regis dixiſſe, Bene certè te beatum aiunt ò Cyre, quòd virtuti tuæ fortuna coniũcta eſt: quibus verbis apud Xenophontem Socrates quiddam egregiè felix & fortunatum videtur deſignare. Nam victorem eſſe & imperandi gloria præſtare, ex Peripatetica diſciplina ſunt in bonis: quibus ſi æterna ſocietate virtus ſeſe adiũxerit, efficitur etiam Stoicis placatis admiranda quædam in rerum natura felicitas. Sed tamen ita à natura facti ſumus, vt nobis ad virtutem facilis ſit & via & doctrina: nec aliud eſt peccare quàm contra naturam facere: cui, qui malè agunt quaſi bellum videntur indicere. Hanc verò qui ducem ſequuntur, nuuquam à recto, nunquam ab honeſto deduci poſſunt. Sed præeſſe & principatum in cæteros habere, non omnibus certè à ſempiterna illa mente datum eſt. Nam iis qui auri copia & maximis exercitibus abundant, qui latè rerum potiuntur, qui barbarorum auxilia in promptu habent, qui regum & nationnm clientelas gloriantur, non continuò licet vincere, caſtra capere, aut vrbes in poteſtatem fidemque redigere: fruſtraque multi vi & armis cõtenderunt quod Dei prouidentia & fatorum neceſsitas prohibebant.

bant. Perſas innumerabili propè militum manu in Græciam venientes, ſuperatos audiuimus in Marathone agro à Miltiade Athenienſium duce. Idē paulò pòſt & Themiſtocli contigit, vt eos profligaret, quibus aciem inſtruentibus non ſolum terræ, ſed ne maria quidem ſtare poſſe viderentur. Iā quantis cladibus noſtri Turcas affecerūt, licet numero militum, reliquoque omni caſtrorū inſtructu illis concederent. Ac ſi quis tempus illud, quo ad Octauium puerum res Romanæ deuenerunt, memoria complectitur, poſsit adduci vt tam præcipitem & celerem florentiſsimæ ciuitatis commutationem, non fabulæ ſimilem exiſtimet? Quis puerum, quis iuuenem, vix dum aliqua perfunctū dignitate, ad rerum tantarum faſtigium vocari potuiſſe ante cogitarat? Sed hæc extra hominis cōiecturam verſantur, & omnino ab æterna illa diſcretione pendent: cui qui in ampliſsimo dignitatum gradu locati ſunt, tantum ſplendorem acceptum referre debent: qui verò aliis ſubſunt, non ita animum demittere, vt ſuæ ſe fortunæ pœniteat: ſed tam bono & forti animo erunt, vt etiam in abiecta fortuna verè liberi & regum reges appellari poſsint.

In Anaxarchum.

Dolor non eſt malum.



Fortis Anaxarchus Cyprij tormenta tyranni
Negligit, & ſubitas non timet exequias:
Tunde, inquit, magis atque magis quòd conteris, inquit,
Arca mea eſt: in me nil tua pœna poteſt,

NARRATIO PHILOSOPHICA.

SI VT multorum philoſophorum longa fuit conſenſio, malum omne opinionis eſt non naturæ, viro ſapienti ſummopere erit contendendum, vt dolorem ſi quando acciderit, ſumma cõſtantia & æquabilitate ferat. Neque opinor patietur in ſe valere, quod Dionyſio Heracleoti leuiſsimo philoſopho contigit: quem cum Zeno Stoicus & ſapere & aduerſus malum omne paratum eſſe docuiſſet, ferunt morbo quodam incurrente tam fracto & demiſſo animo fuiſſe, vt falſa eſſe in ipſo eiulatu clamitaret, quæ antea de dolore ſenſerat. At nõ oportuit hominem philoſophum ex renibus laborantem de gradu prudentiæ diſcedere. Habebit verò ſemper in ore Epaminundam illum, qui graui vulnere accepto morti appropinquans non prius ſibi telum auelli, aut ſui rationem haberi paſſus eſt, quàm de victoria ſuo capite ciuibus ſuis parta nuncium accepiſſet. Admirabilis illa animi elatio, vitæ ſuæ diſpendium & iacturam reipublicæ commodis ſolari poſſe. Iam verò ſi tales nos natura effeciſſet, vt non ex fortitudine animi & recte factis fructus gloriæ eſſet capiendus, dolorem tamen vel hoc ipſo placatè ferre debere mus, quòd puſillum & planè muliebre iudicatur in dolore ſiue malo exclamare. At ſi lumen aliquod virtutis aſpicimus, ſi præſtantiam naturæ hominis, ſi honeſti formam contuemur, poſsit aliquis tam abiectus

iectus & humilis videri, vt in doloris preſſu vlulantem ſe ſine verecundia audire poſsit? Multi enim pudore attolluntur, qui nulla alia rationevinci poſſunt, qui modus in præſtantibus & magnis viris ad æquitatem deducendis non mediocriter valet. Calanus verò homo Indus & Barbarus quãta alacritate in rogum proceſsit? cuius tanta fuit in morte, quam ſibi priuato conſilio ſumpſerat, grauitas & conſtantia, quanta nulla alia in philoſopho fuiſſe memoratur: quaſi opinor in æternam illam domum eſſet venturus, in qua mortalis iſta & plena periculorum vita, cum immortalitate ſit commutanda. Ad quam cogitationem qui ſe accommodant, habent certè aliquid, quod in ſummis periculis non admodum pertimeſcendum putent: qui verò nihil tale animo cõcipiunt, ſe tamen ſæpiſsimè à dolore inuictos præſtant, vel vt gloriam ſibi parēt, vel vt ciuibus aut patriæ ſuæ quietem relinquant. Itaque fortiſsimè Lacedæmo-
„ nij Philipo minitanti reſponderunt, eſſetne is
„ prohibiturus quominus morerentur: quaſi
„ nihil homini accidere in vita poſsit,
„ quod ſit horribile, ſi cul-
„ pam & ſcelus ſu
ſtuleris.

Noctua.

Cum Turcis bellandum.



Oppida collatis inuadite Turcicæ ſignis
Reges: vos etenim ſumma trophæa manent.
Cernite ſperati præſagia certa triumphi,
Vobis à dextra Noctua venit auis.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

MIRETVR non iniuſtè aliquis, quòd cùm maiores noſtri perpetua quadamconſtantia in opprimendis Othomanorum viribus occupati fuerint, & per illos tot calamitates & clades à communi Turcarum peſte depulſæ ſint, tandem eas ipſas in caput poſterorum recidiſſe. Nam ne externa ſemper meditemur, quot victoriis Galli principes eam gentem in Aſia & Africa dicuntur profligaſſe? Teſtes ſunt illi, qui dominatu Turcico liberata Syria, multos annos in oriente imperium tenuerunt, atque eos à quibus ipſa virtus & Chriſtianæ religionis ornamenta quondam ad nos profecta fuerant, Chriſtianis inſtitutis iterum viuere, & intermortuam fidem, & barbarorum tyrannide oppreſſam recipere coëgerunt. Quorum victoria & magnitudo animi ſi tam parum profecit nobis, vt non tantùm quæ illorum virtute parta fuerant, tenere non potuimus, ſed ea ipſi amiſimus, quorum iuſta hæreditas ad nos pertinebat, quid eſt quæſo quod homini Chriſtiano magis efficiendum eſt, quàm vt eam cogitationem toto pectore complectatur, quæ in repetendis rebus per Aſiaticos Turcas ablatis poſita eſt. Nam ſi qui ſunt tam pacis & otij amantes, vt gentes eas Chriſtianorum ſpoliis & ſanguine refertiſsimas non exiſtiment bello prouocari oportere, non video ſanè tempus vllum quo iuſtum bellum indici poſsit. Neque verò in eo noſtra verſatur oratio, licitáne ſint in-

ter Chriſtianos vltro citroq; bella:ſcio enim multos in ea ſententia fuiſſe, vt aliquo caſu iuſtum bellum indici poſſe iudicarent. ſed hæc fortaſſe nihil ad hoc penſum. Qui autem quominus cum Turcis & barbaris prælio decertemus, religione impediri nos exiſtimant, neque vllum relinquunt Chriſtianis locum res ablatas auferendi, videntur, mea ſententia, non ſolùm in retinendis Chriſtianorum principatibus eam gentem præſidiis firmare, ſed ad reliquias quoque opprimendas reddere inſtructiorem. Iam verò quæ iniuſtitia eſt, aut quæ potius improbitas; per quos armis fueris laceſsitus, eos bello appetere non licere: qui delubra, qui fana & templa, qui aras & focos, qui ſepulchra familiaria in luce omnium expilârunt & violauerunt, horum impunitas Chriſtianorum authoritate & ſententiis poſsit eſſe conſignata. Ac ſi quis eſt qui Chriſtianam fidem vi & armis in vulgus proſeminandam eſſe non putet, habet certè me opinionis ſuæ laudatorem & ſequacẽ. Malè enim ſe res habet, cùm quod cõſilio ſi, & Dei optimi maximi beneuolentia geri debet, id tentatur vi & armis. Nam cùm in omnibus actionibus quæ ad animum pertinent, tum certè in religione plurimùm priuata incitatio valet. Sed non eſt ferendum, vetus illud & iuſtum Chriſtianæ fidei patrimonium, nobiſque à maioribus hæreditarium, hominum nefa- „
riorum audacia violari, & diripi: quibus non tan- „
tum cum religione noſtra (hanc enim vel ipſa natura oderũt) ſed cum reliquis virtutibus omni-

bus perpetua ſemper dimicatio fuit: qui veterem illam Græciam ſapientiæ & humanitatis omnis theatrũ: qui florentiſsimas Aſiæ ciuitates, in quibus primùm clara voce & incredibili conſtantia de religione Chriſti decreta perſcripta ſunt, tanto ſtudio & admirabili cõſenſione bonorum omniũ, qui Chriſtianorum conuentus frequentes oriente toto, funditus deleuerũt, hi tandiu noſtrorum hominum patientia abuti poſsint, horùm ſcelus & impietas in oculis, in auribus, in lateribus regum & principum verſari permittatur. Sed vt ait longe optimus poëta, κακῶν οὐκ ἔσσεται ἀλκή. In quibus forſan fruſtra naturæ neceſsitas accuſanda ſit, cùm in calamitatibus & miſeriis accerſendis ſimus perquam diligentes.

In Steſichorum

De mulieribus, neque bene neque malè loquendum eſſe.



Steſichore, offenſi quæ tandem numinis iræ
Imprudenti oculos eripuere tibi?
An quòd Ledeæ decus immortale puellæ
Auſus es inſanis lędere carminibus?
Mitte lenis peragat Mileſia vellera virgo,
Et neat obſcuro culta puella ſcco.
Non eſt digna tuæ quæ ſentiat arma Camœnę,
Quæq; Licambæis concidat acta notis.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

STESICHORVM poëtam, cùm in eius ætatẽ iam ingraueſcentem miſera cæcitatis fortuna incurriſſet, merito illo ſupplicio à diis immortalibus affectum fabulæ crediderunt, quòd parum honorificè de Helenæ pulchritudine & elegantia ceciniſſet. Quod etſi naturæ potius aut ſenectutis vitio quàm aliqua deorum offenſione illi accidiſſe credendum eſt: non eſt tamẽ opinor extra noxam, qui muliebria illa ad otium ſtylúmque ſuum voluerit pertinere. Nã Thucidides nõ ſolùm doctrinæ gloria, ſed genere quoque princeps ciuitatis ſuæ, exiſtimauit, de mulieribus neque bene neque malè loquendum eſſe: & quemadmodum natura, ea quæ in hominum corporibus deformem aſpectum habent, longè amandauit ab oculis: ita earum animantium memoriam, quæ cogitationẽ anguſti & infirmi animi legentibus eſſet allatura, in tenebris latere homo prudẽtiſsimus voluit. Neque enim ea exempla ad memoriæ diuturnitatem valent, quorum imitatio periculoſa eſſe poteſt. Ac vt magnorum virorum res geſtæ monumẽtis proditæ, multis ſæpiſsimè ad eandem gloriam ſtimulos addiderunt: ita certè fatendum eſt, nonnullos ex flagitij aut rei turpiter geſtæ hiſtoria ad omnẽ ſceleris indignitatem incitatiores eſſe factos. Vnde & ſapientiſsimus legislator Solon de parricidis legem non tulit, ne antea inauditum crimẽ potius docere quàm vetare videretur. Sed quia in fœminarum genere nonnulla egregiè facta extiterunt, digna certè quæ & teſtimonio hominum & literis

tris noſtris illuſtrentur, non exiſtimârunt Romani alienum à dignitate ciuitatis ſuæ, ſi honeſtiſsimæ matronæ poſtquam ex vita migrauiſſent, laudarentur: Marcoque Antonio ſummo oratori laudi datum eſt, quòd Popiliam matrem fœminam primariam nouo exemplo apud populũ laudauiſſet. Habet enim commendationem, cùm in animo muliebri plane virilis fortitudo & virtus eluceſcit.

In certamen equi & tauri.

Libertatem vẽdit qui beneficium accipit.



Cùm timet infræni truculentia cornua tauri,
Nec cõferre pedem mollior audet equus:
Implorauit opes hominis, frænoque recepto
Hoſtem perfacili proterit ille manu:
Verum vbi ſigna domũ retulit victricia, fruſtra
Aeternum queritur colla ſubire iugum.
Sic caueat meritis aliorum qui volet vti,
Ne libertatem venditet ille ſuam.

In quendam, qui cùm meam fidem leuiſsimo beneficio ſibi obſtrictam haberet, in me factus erat licentior.

Me dudum ab miſero retinet Longinus in ære,
Et penſum ingrati quæritat officij:
Nec pudet hunc fatuis me compellare querelis,
Dum ſtultus merito non putat eſſe parem.
Quo ſuperi redimam malè fauſtas munere grates?
Ne glebæ Sardum me putet eſſe ſibi

ALIVD

Iam neque me Siculi terrent præſagia tauri,
Nec durum addictæ conditionis opus,
Aut aliena olim miſeris ſignata calendis
Aera, Saguntina deteriora fame.
Dum ne, qui euentis partes metitur honeſti,
Me ſcriptum ex tabulis vendicet ille ſuis.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

NE tu quæſo iſtas ineptias homo tuo quidem iudicio valde ſapiens. Pergiſne iterum tanquam ex ſyngrapha agere nobiſcum? In quo valde miror, tibi mea ſententia non indocto in mentem veniſſe, religionem, fidem, pietatem, officium, libertatem (quæ mihi vita ipſa charior eſt) animum denique meum apud te obſignatum teneri poſſe, puſillo credito voluntatis tuæ. At beneficium gratiæ & beneuolentiæ nō mutuum pecuniæ fuit, in quo parum laboro: ſed caue exiſtimes me vllis rebus adduci potuiſſe, vt iudiciū animi mei poſtponerem clientelis tuis. Tu nos vitæ ratione tam malè comparata, tamque parum ex nobis aptos fuiſſe: tu de toto genere inſtitutorum meorum tam fractè & demiſsè iudicaſti! tu hominem, & quod in hominum animis æternum & ingeneratum eſt, vno merito obſtringi exiſtimaſti! tu præclariſsimum libertatis patrimonium, pro quo etiam vim parenti afferri debere veteres ſapientes iudicauerunt, vno obſequio profligari & affligi! Tu leges, tu ius gentium, tu vinculum religionis, quibus authoribus nemo vnquam à ſe ſui principatum abdicauit, obſtringi mancipio voluntatis tuæ: Tibi denique perſuaſum eſſe potuit, eos quorum vtilitatibus & terrarum orbis, &

Hoc ſublime candens quem vocant Aethera

ſeſe accomodat: quorum cauſa vrbes ædificatæ, vineæ inſtitutæ, arborum deſcriptiones & ordines digeſti, fluminum fontiumque perenitates inuentæ, quorum commodis & leuationi ſo-

lis

lis & Lunæ circuitus, reliquorumque ſyderum anniuerſarij ſtatique motus inſeruiunt, eos minutiſsimis officiis & leuidenſa tua quaſi nexu alligari. Sed quemadmodum apud Homerum præſtantiſsimus ille rex regum Agamemnon, Achilli præſenti iracundia inflammato, & verborum audacia exultanti, cùm in maledicendo modum non teneret, fertur reſpondiſſe,

Παρ' ἐμοί γε καὶ ἄλλοι ”
Οἵ κέ με τιμήσουσι, μάλιστα δὲ μητίετα Ζεύς. ”

Apud me, inquit ille, & ij qui me colent, maximè ”
verò conſiliarius Iuppiter. Ita & apud te poſſum ”
prædicare, me iudicio beneuolentiæ tuæ mirificè delectatum (etſi certè id in nos & perexiguum & vulgare fuit) ſed non patiar etiamſi multoties ſit mors oppetenda, vel minimam ſeruitutis ”
labeculam aſpergi libertati noſtræ: neque enim ”
exiſtimo Deum tam eſſe auerſum à cuiuſquam ”
ſalute, vt in vnius homunculi beneficio dignita- ”
tis & ſplendoris omnis iactura ſit ponenda. Itaque iis libenter debebimus quibus volemus, volemus autem apud eos qui noſtri rationem habebunt, ſed in omnibus conſiliarius Deus. Quod ſi tuū in nos ſemel officium conſtitit, agnoſco ſanè beneuolentiam & liberalitatem tuam: ſed moleſtè fero tanti te hoc bene merendi genus æſtimaſſe, vt tibi nos eo nomine mirabiliter deuinctos iudicaris: & liberius quàm vel pudor tuus, vel etiam dignitas, aut ſi malis libertas noſtra pati poſſet, mecum expoſtularis. Miſerrima mediusfidius eo- ”
rum in quos aliquid ſit collatum cōditio, ſi ex ac- ”

cepta

„ cepta benignitate & gratia velut capite minuan-
„ tur, vt iam illis, vel ſuis vel liberis eſſe non liceat.
Quòd ſi à me tibi beneficium repræſentari refi-
cique poſtulas, rationem habet: ſed permitte me
meo more & arbitratu viuere, neque ſtomachere,
ſi id meo iure ſumam, quod poſt homines na-
tos ne crudeliſsimi tyranni ſubditis ſuis vnquam
„ inuiderunt. Itaque ſi omnis beneficij comme-
„ moratio homini pudenti verecunda eſt, quòd
quaſi gratiæ exprobationem habeat, vide ne pa-
rum honeſtus iudicere, qui non meriti memo-
riam renoues, hoc enim certè nobis minimè
tibi ſubiratis ferendum fuiſſet, ſed mecum tan-
quam ex tabulis agis, quaſi mihi accepto à te be-
neficio non ſit integrum, non me velle quod tute
apud te domi cóceperis. Quid igitur tãtopere tibi
nõ probatur ratio volũtatis meæ. An me tã parum
ſubducta vitæ ratione eſſe putas, vt in eo quod
priuato conſilio ſumpſerim, eſſe mihi per te non
liceat? An quòd tale eſt iudicium animi tui, vt ni-
hil laudes niſi quod geſſeris? An quòd eos qui à
te diſſentiunt, plurimùm à veritate abeſſe putas?
An quòd homini bene à natura informato nefas
eſſe exiſtimas, id minimè aſſentiri quod ab amico
rogetur? ſed id opinor longè turpius eſt in amicis
& neceſſariis rogandis cupiditates ſuas illorum
dignitati anteponere. Nam vt de ſe etiam Pericles
dicebat, *Δεῖ μὲ συμπράττειν τοῖς φίλοις, ἀλλὰ μέχρι θεῶν*
Quòd ſi in tantis anguſtiis mens verſatur tua, ſi
tã ex aliorũ arbitrio tibi vita ſuſpenſa eſt, ſi deni-
que tam puſillus es & abiectus, vt libertatem vno

bẽn

beneficio proſcribas, vt aſſenſionem tuam, iudicium, mentem, addo etiam rationem vno merito quaſi numo addicas, quæſo ne me in ſocietatem ſordium tantarum voces: & patere eum eſſe ita vt vult, qui iandudum à rebus tam deploratis & abiectis tanquam à ſeueriſsimo tyranno profugit. Potius igitur me viuo terra miſceatur ignibus, aut mihi Deus non ita ſit propitius, quàm vt tua in nos beneficia, quæ tamen niſi modica eſſe non poſſunt, me naturæ immutent meæ. Quæ ſi tanta extitiſſent, vt ea nec remunerando illuſtrare, nec ferendo animus meus capere vnquam potuiſſet: debebas tamen pro tua ſapientia iudicare, nullam eſſe gratiam tantam, pro qua ſe homo liberalis & ingenuus, qualem me & eſſe & nominari volo, in ſeruitutem abduci patiatur. At collocantem beneficia amicum non piſcatorē oportet eſſe, ne non tam bene mereri, quàm fœnus ad menſam exercere videatur. Ac ne forte exiſtimes nos aliqua ægritudine aut dolore animi, his de rebus tecum agere, ſic ſtatuo, non tam de nobis ipſis, quàm de viri boni officio & decoro diſputaſſe. Quid enim magis viro forti & ſapienti contendendum eſt, quàm vt in omnibus vitæ actionibus in ſeipſo omnem ſpem reponat ſui, & ea gerat, quæ ſi non multitudinis approbatione, at certè honeſtatis præſidio ſeſe ipſa tueantur. Nam ſi in ſuſcipiendis actionibus à virtute ad alium ſcopum acies oculorum reflectenda eſt, ſi honeſti forma non ſatiſfacit, ſi alius finis præter dignitatem quæritur, tamen


» men & illud reliquum eſt, Præſtantibus & ma-
» gnis viris contra populi opinationem ſemper
» nitendum eſſe. Quod enim præclarum eſt, ex ſe
» certè præclarum eſt, etiamſi in vulgus non probe-
» tur. Quòd ſi quis eſt tam mirificè egregius &
ſapiens, vt ea præſtare poſsit, non valde opinor
» laborabit num conſilio & voluntate ſua homi-
» num cupidorum ſtudiis ſit defuturus. Hactenus
» enim amicis & neceſſariis obſequendum eſſe
» puto, quoad eius fieri per dignitatem & officium
» poteſt, in cæteris amicitiam & beneuolentiam
colas. Neque verò vir is, quem ſapientem nomi-
namus, ad cuiuſquã de ſe bene meriti ſenſum ap-
plicabit voluntatem ſuam, neque in his offi-
cium ſuum deſiderari grauatè patietur, quæ ſi-
ne damno exiſtimationis ſuæ non queunt expli-
cari. Quid enim per Dei immortalis fidem, in
homine, bene informata voluntate præſtantius?
quid libertate animi melius? quid hominis ex-
cellentiæ accommodatius? Non igitur aurum
habere, non diuitiis & clientelis præſtare, non
in purpura gemmiſque conſpici glorioſum eſt:
ſed habet mirationẽ in mediocri fortuna, tã elato
& magno animo eſſe, vt non tantũ aurũ & diuitias
aſpernemur, ſed iis qui ea poſsident dignitate, no-
mine, libertate, vita denique videamur anteire. In
quo igitur M. Cicero Publio Craſſo inferior. An
quòd ab eo longè pecunia ſuperaretur. O animos
noſtros nunquã fortunatos, ſi ex eo quod quiſque
poſsidet dignitas hominis æſtimetur. Tibi ergo
cum ſit exploratũ, nihil vel diuinius, vel excellen-
tius

tius à Deo immortali hominibus datum eſſe ipſo animo, qui viget, qui ſentit, qui diſcernit, qui antecesſiones replicat, qui conſequentia prouidet, qui deniq; res præſentes admirabili cõſilio moderatur, ipſe cõmittes vt nihil inter hominẽ & quadrupedẽ intereſſe videatur? Egone homini quòd diues eſt de via decedam? Ego illum propter opes amplisſimas valere iubeam? ego me ei ad placendum accommodabo? ſic me denique ipſe componam, vt illius fortuna & res domeſtica plus apud me authoritatis & ponderis, quàm eius ratio & mens habitura ſit? Nam ſi mediocri homini qui virtute & reliquis animi bonis cum diuite comparandus eſt, id ego iudicij non ſim delaturus, at hoc diuiti tribuã, videor ſanè id honoris & ſtudij non illius animo (qui tamen in homine princeps eſt) ſed fortunæ & purpuræ præſtitiſſe: eoq; genere pluris opes & tecta laqueata, quàm hominem qui ea tenet æſtimare. Sed neſciunt homines in eo illudi præſtantiam animi ſui. Ego verò quæcunque res euentura eſt, non adducar, vt ea vel probem vel admirer. Nam in quo elaborauerunt curæ & cogitationes meæ, quid ego vſu rerum & cognitione mihi ipſe attuli, vt id expetendũ iudicarẽ, quod non eſſet perpetuum. Quæ ſunt igitur illa quę appellas bona? clientelę, amici, opes, dignitates: at illa nõ improbo: ſed non tã me abiiciã & proſternã, vt illi me poſtponam, qui nos hac vna re antecedat. In quo ego prudentiam tuã deſyderare ſoleo, qui præſtantisſimum illud dignitatis & animi elati decus quaſi cum conuitio nobis

nobis inuidiſti. Quòd ſi me virum bonum, ſi ciuẽ, ſi liberum exiſtimas, deſine iſta auribus noſtris inculcare, quæ nemo ſapiens vnquam comprobauit: neque in eo mihi ſis moleſtus, quod vt cuique ſaluum eſſet & integrum, Dei optimi maximi cõſilio & decreto perfectum eſt. Quòd autem ad nomen illud tuum, habebis debitorẽ nihil morãtem, & ſi voles etiam cũ vſura: quod cùm diſſoluero, alios tibi quæres qui & mores tuos & tã inſolentẽ licentiã animo moderatiore ſint laturi.

In ſtatuam deæ Viriplacæ.

Concordiam in matrimonio colendam.



Quæ dea, quæ noſtris etiã nunc viſitur aris?
Quanta in corde fides, quãtus in ore decor?
Hæc inimicitias, genialisq; intima lecti
Iurgia, coniugibus ponere diua iubet.
Tu cui gratus hymen, cui vincla iugalia curæ,
Hanc cole, connubium ſola beare poteſt.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

VIRIPLACAE deæ (quòd coniugibus inter ſeſe conciliandis præeſſe crederetur) ſtatuam Romani poſuerunt: cuius tantùm apud illos valuit religio, vt quoties aliqua domi inter maritū & vxorem odia intercesſiſſent, die ex conuentione dicta vterque ad illius ſtatuam ſe velut ex vadimonio ſiſteret, & ciuilis diſſenſionis cauſas recitaret: quibus peroratis, ſimultate vltro citroque depoſita, quaſi per Patrempatratum nouum „ fœdus inibatur. Ac profectò coniuges in matri„ monio concordia potius, quam ſubſidiis pecunia„ rum ſeptos oportet eſſe, quæ ſi pie & ſancte ab eis „ colitur, diuinum quiddam adfert inter ipſos. Quò Romanos ſpectaſſe non abſurdum fuerit iudicare, qui ad retinendam in matrimonio beneuolentiam, conciliandáſque nuptias authores deos citauerunt. Quam rem etiam ad Iunonis prouidentiam pertinere exiſtimauerunt, vt non prius in matrimonium conuenirent, quàm illi diuinos honores peregiſſent. Extipices vero quibus cum immolatorum fiſsis omnis verſabatur cura, de victima fel extrahebant, vt ea notatione omnibus perſpectum eſſet, coniugium ipſum felis & iracundiæ expers eſſe debere. Nam ſi à natura hominibus tributum eſt, vt ſe vitam corpuſquetueantur: eadem opinor tutela idemque ſtudium coniugibus inter ſeipſos præſcribitur, quos tanto vinculo colligauit Deus, vt vnum idemque corpus efficerent. Quòd ſi quis malè vxori ſuæ euenire cupit, tam

certè

certè naturæ ipſi pugnaſſe ſit exiſtimandus, quàm ſi ipſe ſibi bellum indixerit. Et quamuis temporibus Moſis, cui à Domino legis perſcriptio data eſt, temporum & populorum cupiditatibus ſit permiſſum, vt coniuges à ſeipſis diuerterent, & res ſibi ſuas haberent: tantum tamen licentiæ genus velut dignitati Chriſtianorum minimè conſentaneũ Chriſtus antiquauit, hancque cautionem lege eſt cõplexus, vt niſi ex cauſa fornicationis diuortium celebraret nemo. Propius eſt enim, vt quæ ſcelere ſuo ius illud ſacroſanctũ hoſpitij & ſocietatis violauit, tantæ cõmunitatis beneficio priuetur. Artemiſia quidem apud Cares Mauſolũ coniugẽ eo affectu & obſeruantia coluit, vt ad incredibilem illum amorem nihil adiungi poſſe facile omnes iudicarent. Quo deinde mortuo, tantũ ad illã volũtatem acceſsit, vt antea dilexiſſe ſolum, tunc verò amare videretur. Nam cum moderatè deſyderium mortui ferre non poſſet, hac vna leuatione ſe dolorem, ſi non abſtergere, at certe lenire poſſe credidit, ſi mariti cineres abſorberet, & illi in corpore ſuo monumentum extrueret. Præclara certè illa erga coniugem ſignificatio amicitiæ, quæ etiam poſt aras viuit. Et Cn. Pompeij vxor, cum mariti veſtẽ ſanguine conſperſam è foro domũ relatã vidiſſet de ſalute illius vehemẽter cõmota repente exanimata eſt: quo in caſu certiſsima beneuolentiæ muliebris ſigna apparuerunt. Tanta eſt enim plerunq; inter coniuges ſuauitas, vt ſi forſitan vinculum illud, naturæ neceſsitas diſſoluerit, vnusque ex illis vita ſit perfunctus,

qui ſuperſtes eſt, non niſi inuitus amœniſsimam hanc lucem poſsit aſpicere, & æqualium conſuetudinem, congreſſumque hominum, vitam denique ſibi acerbam putet. Quæ ſi vniuerſi in vita ſibi tuenda eſſe proponerent, nō tātæ mediusfidius ſordes, non veneficia, non adulteria in laribus & focis verſarentur. Quia verò in collocandis filiabus Themiſtoclis ſententia minime probatur nobis, longéque antiquius eſſe iudicamus, pecuniam ſine viro habere, quàm virum ſine pecunia: videatur certè quodammodo de lucro accidiſſe, ſi quod matrimonium apud nos ira vacet. Nam vt æqualitas plurimum ad beneuolentiam momenti habet, ita certe nihil eſt ad maleuolentiam accommodatius quàm animorum fortunarumque diſsimilitudo. Quærit adoleſcens mulierem cui amplæ ſint facultates domi, neque ei omnino curæ eſt, ſi forte illa multùm ætate proceſſerit: vnde efficitur vt qui ætate & opibus inter ſe ſunt diſsimillimi, etiam vita & opinionibus plurimum diſcrepent. Iubet Ariſtoteles Heſiodum ſecutus, vt virgines ducamus, quòd facilè ad voluntatem noſtram deduci poſſint. Nam vt canē vetulum ægrè ad lora condoce-feceris: ita iam natu grandes mulieres, maximè ſi in aliorum manum aliquando conuenerint, quocunque duces difficilius ſequentur. Bene igitur
„ Thales Mileſius pares paribus connubio iungi de
„ bere exiſtimauit, vt ea concordia, qua ferme vna matrimonium conſtat, morum ſimilitudine retineri poſſet.

In her-

In herbam Moly, ex Homero.

Magnę res ſine magnis periculis nõ fiunt.



En tibi Mæonij vatis ſuauiſsima Moly,
Oſtendit vitæ fata, decúſque tuæ.
Lacteus eſt illi floris color, atráque radix,
Exoritúrque nigro palmite lactis honos.
Quid ſperas magnis rerum ſucceſsibus vti,
Qui reuocas oculos longe ab agmine tuos?
An tibi Idumææ cedent ſine puluere palmæ?
Proxima quærendus damna triũphus habet.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

MOLY herbam magnis rebus efficiendis nobilem mirabiliter Homerus verſibus ſuis honorauit. Nam illius inuentum diis immortalibus attribuens eam à Mercurio ex terra euulſam Vlyſſique trāditam eſſe ait, vt is inter Circes veneficia ſecurus verſaretur,

Ρίζῃ μὲν μέλαν ἔσκε, γάλακτι δὲ εἴκελον ἄνθος.

Radice, inquit, nigra eſt, ſed lacti flos ſimillimus. Quare vniuerſæ hominum vitæ concurſationes & ſtudia ſcientiſsimè complexus eſt. Nam in rebus aggrediendis ita natura adfert, vt radices nigræ ſint & obſcuræ, principiaque ipſa moleſtiarum plena: multiq; homines inuenti ſunt, qui difficultate deterriti in curſu reſtiterunt. Cùm verò paulùm vltra radicem res ipſa proceſſerit, mirabiles gloriæ fructus conſequuntur. Iam res magnas & memorabiles gerere glorioſum eſt, ſed tamen nō ſine magno fortunarum & vitæ diſcrimine res tantæ perfici poſſunt.. Darius quidem eo prælio quo apud Iſſum ab Alexandro Magno ſuperatus eſt, in concione apud milites ſuos dixiſſe fertur, RES MAGNAS ſine magnis periculis non geri. Nam & multi exercitus eo profecti eſſe prædicantur, vnde ſe nunquam redituros confiderent. Tanta eſt enim in maximis animis incitatio, tantúmque pugnandi ſtudium, vt victoriæ laudem facile omnibus periculis anteponant,

veri

Veritas in puteum demerſa.

Ex Democrito.



Qui toties putei fundo verſaris in imo,
Vt verum ignotis prodeat è latebris,
Deſine, fruſtrati ſunt hæc monumenta laboris:
Quidnam illi & nobis fœderis eſſe poteſt?

NARRATIO PHILOSOPHICA.

MIRETVR ſanè aliquis, cur cum in perueſtigatione veritatis tot tantorúmque hominũ ætates ſint confectæ, hodiéque reperiantur prope innumerabiles, qui in ea ſe verſari dicant impẽſius: Democritus autem eam ab hominibus ſeceſſionem feciſſe, & in intimis putei cuiuſdam latere opinetur, neque illi nobiſcum aliquod eſſe commercium. An quòd ſimul atque in lucem ſuſcepti ſumus, in tanto vulgi errore verſamur, vt ea veritatis & virtutis præſidia, quæ omni ſtudio tuenda nobis natura ipſa commendarat, opinionum prauitate deleantur? An quòd iis opinionum fluctibus obruimur, vt in nobis naturæ lumen obſcuretur, vanitatique veritas, & confirmatæ opinioni virtus concedat? An quòd animus ipſe in homine princeps, à corporatis voluptatibus tanquam à barbaris captus, laribus ſepulchriſque auitis non inuitus caret, neque ad præclaram illam virtutis ciuitatem poſtliminio redire cupit? An quòd in præſtantibus & ſummis animis fere vſu-venit, vt inter ſeſe diſſentiendi ſtudio ſummopere teneantur: magiſque in ſcientiis pertractandis domeſtica gloria, quàm ipſa luce veritatis capiantur, eaq; ſola probent, quæ ipſi ſecum domi fuerint meditati? An quòd eam quamprimum animo expreſſerimus opinionem, nunquam deponimus, diutiſſiméq; nos noſter delectat error? An quòd nihil homini melius, nihil præſtantius imperiis & populari gloria iudicamus, & adumbratæ laudis imagine ſpeciem illam honeſti contegimus: vt plerun-

que

que in optimis actionibus potius magiſtrum populum & ad vitia conſentientem multitudinem, quàm ſapientiam ſequamur?qua tamen nihil homini à Deo optimo maximo excellentius tributũ eſt. An quòd tanta habendi cupiditate cõficimur, vt ſine pecunia nullam vitam eſſe exiſtimemus,& præſtantiſsima illa animi bona tantum expetenda iudicemus,quantum amplificatio patrimonij, & rerum ſubſidia pati poſſunt? Socrates quidem, qui primus à rebus occultis, in quibus omnibus philoſophi ante eum occupati fuerant, philoſophiam auocauit,ea re ſe ab Apolline omnium ſapientiſsimum dictum eſſe iudicabat, quòd ſe nihil omnino ſcire palam profiteretur, eamque ſe " putare ſummam ſapientiam,non arbitrari ſe ſcire, " quod neſcias. Quæ ſententia cùm altius animis " eorum inſediſſet qui illius fuerunt diſcipuli, prodierunt Academici noui,qui nihil certo ſciri cõſtanter affirmarent, verique rationes velut ab aſſenſione cohiberent. Qui quanquam(vt ex eorum ſermonibus & vita conſtare poteſt)magis veritatis perquirendæ deſyderio, quàm aliqua animi ægritudine de rebus omnibus diſputarent:hoc tamen potiſsimum diſciplinæ ſuæ caput effecerunt, vt ab omnibus rebus velut incognitis iudicium ſuſpenderent. Nobis verò quorum variè perturbantur animi, quid efficiendum erit cumulatius, quàm vt nunquam incerta pro certis habeamus: eaque ſit noſtra in omnibus ſermonibus moderatio,vt niſi conſultò de re aliqua nunquam iudicemus. Ac quocunque te animo & cogitatione con-

uerteris, quid niſi lubricum aut ſui parum ſimile in hominibus noſtris reperias? Nam vt ius ciuile cæteraſque artes, quæ maximè opinionibus continentur, omittamus, quot quæſo inter nos degũt diſpares diſſentientium hominum familiæ, quæ de religione aliter atque aliter ſentiunt? Neque temerè aliquis quicquam probat, niſi quod ſibi cum cæteris non eſt commune. Quòd ſi nos ſimilitudine ſententiarum Deus colligaſſet, & ea quæ variè in animis hominum proſeminata ſunt, ad idẽ vinculũ, cõſenſumque reuocaſſet (quod omnino nõ deſpero) facilè ex Democriti puteo emergẽs veritas, quæ nonnullis obſcurior videtur eſſe, in
» luce omnium verſaretur. Et quanquam ita res ſint
» affectæ, vt plus vno verum eſſe non poſsit, nullum tamen ex illis qui à ſeipſis diſſentiunt reperias, qui non opinationem ſuam in veritate ſitam eſſe arbitretur. Vnde fit vt quemadmodum in omnibus rebus, tum certè maximè in religione periculoſæ ſint diſsimilitudines animorum: quas qui tolerat, perniciosum quiddam inducit in Eccleſiam, confuſionem videlicet & varietatem. In quo minus forſan ſit ignoſcendum iis, qui incredibilẽ apud omnes Reip. cõſtituendæ ſpẽ ſuſtinẽt: quorũ tamen negligentia totius religionis ſeminaria planè occiderũt.

In reſupinos.

Ex Africano.



Si ſonipes celebri forſan qui vicit Olympo,
Ducitur inſueta credulitate ſui,
Nec patitur dulces proprij ſeſſoris habenas,
Sed fræna indomito diſcutit apta iugo.
Hunc exultantem domitori trade magiſtro,
Vt diſcat ſolitis currere carceribus.
Qui tollis criſtas, rebúſque elate ſecundis,
Cerne inconſtantis tela parata deæ,
Et te ad ſolius virtutis confer habenas,
In qua vera animi dicitur eſſe quies.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

P. Africanum dicere ſolitum refert Panætius,
qui illius ęqualis erat, equos triumphorum & »
victoriarum opinione plus æquo ferocientes, do- »
mitoribus tradi debere, vt illis facilioribus ſeſſo- »
res vti poſsint: ita homines rebus ſecundis & ex- »
ternarum rerum ſubſidiis nimium ſibi præſiden- »
tes, ad gyrum rationis & conſilij deducendos eſſe, »
vt aliquando fortunæ inconſtantiam & humanæ »
naturæ imbecillitatem poſsint perſpicere. Quibus »
enim fortuna paulo liberalior in votis eſt, iis cer-
te euentorum ratio non niſi obſcura eſſe poteſt.
Quorum autem variis procellis & fluctibus vita
iactata eſt, iis facilis eſt omnis euentus. Seianum
conſularem hominem memoriæ proditum eſt,
tanta apud Tiberium Cæſarem gratia valuiſſe, vt
vniuerſa penè reſpublica in eius temperatione ſita
eſſet. Is in rebus tam proſperis nihil ſibi deeſſe poſ-
ſe exiſtimabat, quod ad bene & feliciter viuēdum
faceret. Sed tamen quia plerunque euenit, vt qui
florentiſsimis ſuis rebus lubentes deſipiūt, ſi quid
aduerſi contigerit ſeipſos facile recolligant, ſubi-
ta quadam tempeſtate omnes eius ſpes & expe-
ctationes conciderunt. Nam & de repetundis reus
actus pœnas ambitionis dedit, & omnium ordi-
num ſententiis damnatus eſt. Iam verò eiuſcemo-
di hominum plena eſt ætas noſtra, quorum tam
ambitionis labore vita diſtricta eſt, vt in fortuna
ſola ſuſpenſas habeant rationes ſuas: neque quic-
quam aut expetant aut admirentur, niſi quòd im
peritæ multitudinis approbationem moueat. His
idem

idem propoſitum eſt quod Cyrenaicis, vt in eo vitæ genere felicitatem ſtatuerent, quod in dignitatibus obeundis, & tenendo concionibus populo maximè accommodatum eſſet. Qui ſi ad eos magiſtratus, quos aſsidua concurſatione prenſabant, ſint euecti, videas homines tam parũ ex ſeſe aptos eſſe, vt illa honorum acceſsione ſe ſibi immutatos putent, nefaſque eſſe exiſtiment, eos in amicitia & fide retinere, quibuſcum ante proceſſum dignitatis coniunctiſsimè vixerant. Miſerrima certè hominum conditio ſolùm ea probantium, quæ nemo ſapiens vnquam expetuit. Tanti verò faciunt ex plebe ad patritios tranſiiſſe, vt ea omnia, in quibus antea & multi & prolixi fuerant, infra ſe poſita, & dignitati nouæ minimè conſentanea eſſe putent. Si forſitan iis aſſurgere & quaſi de via decedere, à quibus eodem honore prouocabantur, humanum eſſe iudicauerant, nunc quaſi in deorũ immortalium album cooptati, ſalutantibus eundem honorem impertiri, & graue, & à ſua dignitate alienum eſſe arbitrantur. Viam ingreſsi integrum ſibi perſuadebant hac & illac oculos deflectere, nunc quaſi aliquid ſupra mortalitatem omnem adepti tam ſe inſolenter gerũt, vt in aliquem oculos cum amoris teſtificatione cõiicere habeãt peccati loco. Vno ſe digito ſcalpunt, vt illa nota à reliquo vulgo ſeparentur. Non enim decet eos qui in populo principatum habent, aliqua morum & ſententiarum ſimilitudine ad populum pertinere. Inepti ſanè homines, à quibus quod in animis noſtris eluceſcit maximè adumbratæ gloriæ forma

penit

penitus obſcuratur. Neque verò ij ſunt, qui qui ſint, neſciamus, quique non pluris ornamenta præclariſsimæ virtutis, quàm illorũ Appianitatẽ aut Lẽtulitatem vllam æſtimemus. Poteſt verò aliquis eſſe tã omnis diſciplinæ rudis, qui iſtas ineptias aliquid ad hominis ſplendorem & gloriam adiungere ſibi perſuadeat? Quæ ſi nõnullis probentur, ſic tamẽ ſtatuo, ea ex doctis probaturum neminẽ.

In immortalitatem litium.

Ex Hieroglyphicis Ægyptiorum.



Voluitur in ſeſe, rurſúſque reuertitur ad ſe
Serpens, nec finis flexibus eſſe poteſt.
Hæc ſpecies expreſſa fori eſt, hæc forma ſenatus,
Dum nequit heus minimis litibus eſſe modus.
Quúmque putas finem tantis inſtare querelis,
Auditur tibi lis, quæ fuit vna, duplex.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

VIDEATVR forſitan à pietate quavnuſquiſque noſtrum erga antiquitatem affectus eſſe debet, alienum, ea quæ nobis hieroglyphicis ſuis veteres Ægyptij prodiderunt, ab inſtitutis patriæ ad conſuetudinem moremque noſtrum traducere. In quo etſi illi nobis magnopere laudentur, qui iſta præclara primùm pepererunt, non erunt tamen opinor improbandi, qui res abſconditas & arcanas ad naturam & ſenſus retulerint. Nam Ægyptij & qui ad idem littus pertinent Phœnices, omnium mortalium primi res occultiſsimas ad ſtudium & puluerem perduxerunt. quos cùm in rebus tantis pertractandis ea literarum inſtrumẽta deficerent, quæ poſteà temporum beneficio hominibus donata, & multarum gentium inuentis conſecrata ad poſteros peruenerũt, ij notas quaſdam, & ſimulachra dicuntur inueniſſe, quibus ea quæ diuturna rerum notatione effecerant, memoriæ ſempiternæ commendarent. Quia autem de anno & eius partibus apud eos mentio incidebat frequẽs, belliſsimè annũ deſignari poſſe iudicarũt, ſi ſerpens mordicus caudã tenens oculis ſubiiceretur. Vt enim ſerpens hoc modo expreſſus tam ſe in orbem componit, vt in ea figura neque principium neque finem reperias: ita cum ſol trecentis ſexaginta quinque diebus & ſex horis curſum ſuum confecerit, tanta celeritate ad alterius anni ſpatia & anfractus reuertitur, vt neque prioris exitum, neque naſcentis initia facilè poſsis agnoſcere. Quin & ea figura, vt ex Ori Apollinis Hiero-

roglyphicis apparet, mundum & vniuerſum hoc deſignat,& nonnulla alia, quæ idem author libro ſuo perſecutus eſt. Quæ minus forſan nobis ſunt neceſſaria, apud quos multarum linguarum characteres in conſuetudinem, & familiaritatem venerunt. Propius igitur ad temporum diſciplinam videtur eſſe, vetus illud Ægyptiorum ſimulachrũ ad ſubſellia forenſesque controuerſias deducere, eoque genere iudiciorum infinitũ & litiũ æternitates adumbrare. Si enim ita tuæ rationes ferunt, vt cum aliquo actione vel ſacramento contendas, aut certè ſerò reum tuum iudicatũ facies: aut ſi qua te fortuna ad id beneficij genus adduxerit, rei primùm iudicatæ & deciſæ, nouæ aliæ lites velut poſthumæ agnaſcentur. In cauſa hæc ſunt: iudicum remiſsio & negligentia: dum non niſi tranſlatiuè & perfunctoriè munus ſuum exequuntur: & auaritiæ lues, quæ homines noſtros in præſtantiſsimis honoribus cum dignitate verſari non cõcedit. Quid igitur nos de illis ſperare oportebit, quibus cùm longo vſu temporum abundè ſit perſpectum, tot imminentium cauſarum fluctibus facilè ſe non poſſe ſatis, nolunt tamẽ æquo animo pati, alios in eundem ordinem adlegi, qui in eodẽ equo incluſi,& publicis malis medeantur,& cauſas quaſcunque anno vno vel altero poſsint concludere. Ac profectò qui ſua non populi cauſa ad magiſtratus accedunt, dum à ſe dies tanquam à Chaldæis peti,& totius ciuitatis commoda domũ inferri volunt, quamuis ſoli res tantas & tam immenſas ſuſtinere nequeant, parum tamen mode-

ratè ferunt in idem munus alios conſcribi, quorum ſocietate omnia negotia maturrimè explicentur. Mihi certè ij grauiſsimè offendunt, qui cùm certò intelligant niſi ſex aut decẽ annis clientes iudicatos ſententiis ſuis dimitti poſſe, non tamen ſibi conuentum alium dari poſtulant. Parum „
enim Chriſtianum eſt, iuſtitiam quam iura omnia „
liberaliter & in procinctu reddi voluerunt, his „
apud nos in anguſtiis eſſe vt neque gratis, neque „
pecunia, neque labore tibi eam parare poſ- „
ſis. Sed tamẽ & hoc in illis hominibus
ferendum eſt, qui in dignitatibus
renuntiati, magis ſua, quàm
ciuium cauſa
laborant.

In morem Lacedæmoniorum.

Contra mulierum licentiam.



Qui Lacedæmonias cernis ſine veſte puellas,
Certa illibatæ ſigna pudicitiæ:
Tectáque matronæ diffuſis ora tiaris,
An potes his tenebris Cinthius eſſe mihi?
Si qua ſuo mulier iam deſponſata marito eſt,
Tunc ſola incipiat tectior eſſe domi.
Sed virgo optatis nondum coniuncta Hymenæis,
Quamque nimis ſeri coniugis vrit amor:
Prodeat in vulgus, vultu ſpecioſa nitenti,
Vt properet Subigo reddere vota Deo.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

APVD Lacedæmonios moris fuit, vt puellæ quæ nondum in manum viri conueniſſent, aperto capite & minimè velata facie in publicum prodirent: quæ autem viris nuptum eſſent traditæ, nunquam prius niſi faſciis aduerſo vultu contectæ de domo procederent. Quod forſitan in prudentiſsima ciuitate non alia de cauſa receptum eſſe iudicare poſſumus, quàm vt vtrunque fœminarum genus diligentius eas partes tueretur, quas ſibi vel voluntas vel fortuna tribuiſſet. Neque enim ab inſtitutis feliciſsimæ reipublicæ alienum eſſe putem, puellas in luce ciuitatis verſari, & ab iis ipſis proſpici, qui ex geſtu & venuſtate corporis etiã animi periculum facientes, ad honeſtas nuptias ſæpiſsimè faciliores eſſe poſſunt. Etſi enim non omnes Zopiri ſunt, tamen in humano vultu neſcio quid natura indidit, ex cuius longa notatione de moribus iudicium eſſe poſsit. Et plerunque nonnulla ſunt in virgine corporis vitia, quæ ne ipſo quidem nuptiarum die maritis animaduerſa ſunt: quo in genere non fortaſſe illos euentus fefelliſſet, ſi puella ex vmbraculis ſuis aliquando in ſolem prodiiſſet. Præterea quia ætas illa vel ipſa natura à labore ad ſolatia & otium eſt procliuis, benignè in eam conſtituendum eſt, neque omnino vitio vertendum, ſi ei permittatur aliqua ſodalitatum & colloquiorum vſura perfrui, & eiuſmodi leuatione diuturnum futuri mariti deſyderiũ ſarcire. Et ſi enim nulla maior homini peſtis impendet quàm ab homine, nihil tamen magis ad morũ

probi

probitatem & honeſti actiones valet, quàm hominum conſuetudo bonorum: quæ opinor puellis non ſit prohibenda, ſi modo ea ſicut ſomno & cæteris quietibus, cùm ſcilicet rebus neceſſariis ſatis fecerint, vtantur. Vnde fit vt vſu eorum quibuſcum vixerint inſtructiſsimæ, ſint maritis ſuis & ad animi voluptatem chariores, & ad res gerendas aptiores. Quæ ſi omnino ſe maritis elocauerint, non ſit illis condonandum, ſi tantum ſibi in matrimonio licere velint, quantum anteà optimo iure ſumpſerant. Quid enim ei quæ ſe ad viri nuptias & voluntatem contulit aliud in poſterum contendendum eſt, quàm vt eius moribus inſeruiat, cui ſe Deo optimo maximo authore, & hominibus laudantibus æterno vinculo colligauit? Quid denique tantum voluptatis & iucunditatis ei quæ virum duxit externa afferre poſſunt, quæ non domeſticis oblectamentis, & priuato otio facillimè compenſentur? Itaque non ſine cauſa laudatur ille, qui non alio nomine vxori libellum repudij dedit, quàm quòd ea minimè velata in publicum prodiiſſet. quod etſi paulò ſeuerius nonnullis videatur, admonendæ ſunt tamen mulieres, vt nunquam à domo & maritis ſuis oculos deiiciãt: & omnino perſuaſum habeant, ſe maritis non tãtùm noctes, ſed etiam dies debere. Et ſanè quàm bellißimè Cæſar Dictator: qui vxorẽ ſuã non tan- „ tum crimine, ſed & omni criminis ſuſpicione va- „ care voluit. Nam licet ex veterum ſententia cum „ bonis bene agere oportet, & hominis ſapientis eſt non leuiter in ſceleris ſuſpicionem venire: ſit ta-

men neſcio quo pacto , vt ea quæ conuentus ho-
minum & conſortia tantopere appetit , etiam à
viris bonis in diſcrimen famæ ſubitò depoſcatur.
Quid enim tantum mulieri coniugatæ cum Præ-
latis , iiſque qui rem poſsident,negotij eſt, cuius
non maritus , iuſtus arbiter & diſceptator locu-
ples eſſe poſsit?Quòd ſi id illi à marito conceda-
tur , deſino : quidam enim tam à natura viri boni
facti ſunt,vt nihil habere velint, quod non illis cũ
cæteris commune ſit. pluſquam Pythagorei opi-
nor,qui nõ tantùm amicis omnia debere ve-
lint , ſed etiam iis libenter de ſuo lar-
giantur,quibuſcum nulla amicitia
& pietate deuincti ſunt : libe-
ralisq; animi eſt & ſibi &
vxori amicisſimos pa
ri officiorũ ra-
tione de-
mere-
ri.

Ad ſtatuam Arimaſpi.

In ſordidè & per gratiam iudicantes.



Riphæos linquens, chariſsima limina, montes,
Tractat Hyperboreus Gallica iura ſenex:
Et ſedet in roſtris, oculûmque in fronte locatum
Litibus in noſtris iudicat eſſe ſatis.
Quos habet attonitos vnius gratia partis,
Alterius cælant dum benefacta rei,
Et totos vni ſe deuouere clienti,
Hos perhibent vno dicere ius oculo.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

MIRETVR non iniuſtè quiſpiam tã res alias populum agere, vt apud nos Arimaſpis poſſit eſſe in ſubſelliis, & iudicando locus. Quod etſi à cultu & humanitate prouinciȩ videatur alienum, magis tamen ſit mirandum, eorum temperatione vniuerſum Reipu. corpus cõtineri. Quid enim tã contra temporum omniũ diſciplinã eſſe poteſt, quàm eos ex decreto cæteris duces dari, à quibus & itinerum notitia, & oculorum acie lõgo interuallo ſuperentur? Nam neque cum ratione ſit, illos qui ea infirmitate ſunt, vt aliis præeuntibus ſubſequi debeant, eum locum in procedendo tenere, qui & princeps & primus eſt. Neque verò tanta nobis cum natura dimicatio eſt, vt ea quæ velut cum lacte nutricis expreſſerimus, improbemus. Sed tamen dolendum eſt in eo nonnullos tam ſtudioſè occupari, vt ſe maximum fructum capere exiſtiment, ſi ad eas calamitates quas hominibus natura afferre ſolet, alias adiunxerint. Nam neque cum corporibus omnino decertamus: at in illis hominibus non ſit ferendum, qui animum ſuum immortalitate & tantarum rerum notitia præſtantem, altero oculo priuauerint. Et ſapienter apud omnes opinor populos ſtatutum eſt, vt non prius iudices de cauſa conſtituerent, quàm die dicta, litigantibus pro ſe agendi poteſtas facta eſſet. Cuius æquitatis tanta eſt in iure ciuili religio, vt ea (ex Iuriſconſultorum ſententia) etiam principali authoritate non poſſit antiquari. Qui autem vnam in partem decumbunt

bunt,& ab alia ſe voluntate auocant, perinde certè mihi videntur agere,atque ſi ea parte cuius vtilitates & iura deſerunt,minime ad iudicium euocata in cauſa perorarent.Hos nō eluſcatos vt aliâs non oculis vt ſæpe, ſed mēte captos ſaluis legibus appellemus.Quibus enim æquitatis,iuſtitiæ,fortitudinis & conſtantiæ partes ex Senatuſconſulto vel principum placitis attributæ ſunt,ij omnibus bonis deſipere videantur,ſi iuſtitiā iniuſtitiæ,animi magnitudinem auaritiæ & ſordibus commutarint. Væ(inquit Eſaias)vobis,qui ſtatuitis lucem tenebras,& tenebras lucem.Quò proximè eos pertinere non iniuria aliquis exiſtimare poſsit,qui in controuerſiis decidendis æquitatem ad ſordes,iuſtitiæ momenta ad beneuolentiam aut odium ſolent traducere.Iam non eſt conſentaneum , vt qui in publica adminiſtratione degunt, priuatas amicitias curent . Quid enim ſingulorum cognationi & affinitati cum republica commune eſt ? An verò exiſtimant ſe in tantum ordinem lectos eſſe,vt familiæ ſuæ negotia procurent? An tanta pecunia ſibi aditum ad dignitates illas parauerunt,vt amicos quorum res commodiſsimè priuati peragebant,opibus ſuis & gratia ſuſtentent? An ſe maximis honoribus beneficio principum ornatos eſſe putant, vt domeſtica incrementa quieti popularium & communibus ſtudiis anteponant?An vt ea ſacerdotia de quibus iam à litigantibus aditi ſunt,tacitis concurſationibus filiis ſuis ſtipulentur ? An vt gratioſorum authoritate & diuitum pecunia religionem ſuam expugnari patiantur,

eoſque quibuſcum nulla officiorum aut ſanguinis ratione coniuncti ſunt, ſententiarũ laqueis irretiant? Tales certè qui ſunt, magnam ſui rationẽ habuiſſe dicerentur, ſi priuati procul à rerum gubernaculis domi quieſcerent, neque omnino rẽpublicam attingerent, quam domus ſuæ clientelis & affinitatibus non deſinunt perturbare. Qui enim tã ſunt in amicos & neceſſarios à natura officioſi, vt omnia pro illis non dubitanter ſuſcipiant, errant nõ mediocriter, mea quidem ſententia, ſi ſe magiſtratus & ea dignitate homines eſſe velint, apud quos nõ poteſt eſſe aliquis cognationi & amicitiæ locus.

Vulgatum de Opilione.

Moderatio in ſubditos.



Cùi dedit vpilio ſimas tondere capellas:
Ah cruciat miſeris terga cruenta modis.
Quem tenet Herculei mœſtum præſtatio voti,
Inq́; vno duplex iugere munus obit:
Paruo multa querens inſtare tributa nouali,
Sæpe graue immenſo deſerit ære ſolum.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

NIHIL his hominibus infeſtius opinor dicitur, qui eos magiſtratus, in quibus pietatis & omnium officiorum ſeminaria apparere poſſunt, conſecuti, tamen ita in illis degunt, vt non tantum nulli prodeſſe velint, ſed etiam eos offendant quorum ſtudiis & vtilitati obſequi debuiſſent. Quæ res eò videatur indignior, quòd præclara illa virtutis ornamenta ad virtutem labefactandã conferunt, & in conuellenda honeſtate illam ipſam cui pugnant, adhibent honeſtatem. Quid enim res vrbanas aut bellicas gerentibus accommodatius eſſe poſsit, quid illorum dignitati cõſentaneum magis, quàm populum omni meritorũ ratione (quoad eius fieri per honorem poteſt) demereri? Quid porrò eis magis neceſſarium, quàm ciues cæde, inſidiis, concuſsione & vi armata liberare? Quid cum illorum adminiſtratione coniunctius, quàm ius vnicuique tribuere, & perditorum ciuium conatus nefarios à bonorum ceruicibus depellere? Hæc certè & alia honoribus illis tam ſunt cognata, vt ab eis neque re, neque cogitatione ſeparari poſsint. Qui autem dignitatem res tantas & tam præclaras efficientem ad ciuium perniciem conuertunt, qui prouincias ſpoliant, qui teſtamenta diuitum aut expectant, aut ſupponunt certè, qui omnia habent vænalia, decretum, ſententiam, forum, domum, vocem, ſuffragium atque adeo ſilẽtium, qui ſeruotum dimiſsiones faciunt ad diripiendas villas, qui vicinos ſedibus expellunt, qui recuperatores nocentibus reis pecunia proſcribũt

qui

qui accuſatoribus pecunioſis quæſitores ad iudicijcorruptelã vendunt,qui pro vno vel altero cliẽte litem ſuam faciunt,qui iudiciorum aditum iis à quibus nihil acceperint,intercludunt,qui ab oppidanis ſuis maiorum fundos & familiaria ſepulchra violenta pactione emunt, qui denique nihil agunt aliud quàm vt rem ſuam efficiant pleniorem:hos profecto nemo in officio ſuo eſſe exiſtimauerit.Et quemadmodum multa ſunt vitia quæ virtutem ipſam proximè imitentur:ita & nonnulli ſunt,qui cum ſe bene & fortiter in magiſtratu gerere videantur, tum demum grauius peccent. Horum plena eſt ętas noſtra, qui ſimulatione probitatis aliquos in vitæ diſcrimen & accuſationem vocant.dumque foris acerrimi publicorum commodorum propugnatores videri volunt,intus tamen ita ſe res habet,vt omnibus facilè conſtet eos non cum hominis ſalute, ſed cum fortunis & pecunia bellum ſuſcepiſſe.Sed tamen in tanta oppreſſæ virtutis & innocentiæ calamitate, nihil eſt cur non eos potius qui iſta agunt, quàm qui hæc patiuntur,miſeros eſſe putem.Nam qui falſo nomine apud iudices rei deferuntur,habent certè &hoc cum Chriſto & Apoſtolis commune: qui autem publicè ad innocentium cladem,&bonorum perniciem operas ſuas locant,quique quos collatis ſignis,&(vt aiũt)aperto Marte opprimere nequeũt ſententiis ſuis intercipiendos eſſe cenſent,tantum conſcientia perturbantur ſua, vt ſemper pœnam ante oculos verſari putent:& dies noctéſque crucientur.Nam &Dionyſius Syracuſanus rebus ſuis

floren

florentiſsimis & tanta imperij gloria, ne quidem ſe fortunatum prædicabat: quòd illi vt furiæ, ſic ſua occurrerent malefacta, quæ illum etiam in tãtis opibus tutò reſpirare non ſinerent. Si autem in turpiſsimis illis flagitiis hac vna re ſe ſuſtentant, quòd bene curati in vulgo apparent, multo auro, multis gemmis, non habent illa, mea quidem ſententia, tantum apud Chriſtum & ſequaces ſuos authoritatis, vt non baiulos & ex vltima fece plebis homines, adde etiam ex Chriſti ſententia meretrices, hiſce leuiculis & impotentibus præſtare iudicemus.

Appij infamia.

In conſtuprata iudicia.



Virginiæ parat inſidias & retia tendit
Appius, & veneri ponitur vrna ſuæ.
Sit manibus truncus iudex, ſit lumine captus,
Qui volet in noſtro dicere iura foro.
Qui potes æquali cauſas tractare lapillo,
Actoris coniux ſi ſit amica tibi?

NARRATIO PHILOSOPHICA.

NONNVLLI ſunt qui errore ſuo & peccandi licentia tam impensè delectantur, vt eorũ animus in præclariſsimis dignitatibus obeundis nõ tantùm cupiditate & auaritia nõ expleri poſsit, ſed etiam gradũ illum ſuũ ſtupri & libidinis acceſſione audeant funeſtare. Et quemadmodum Appius decemuir, quam priuatis pollicitationibus, & occulta largitione expugnare non potuit, eam ſententiæ ſuæ & iuris conſtituti vinculis irretire conatus eſt: ita homines impuri à qua in amoribus bene ſunt accepti, vel ſi hoc ſibi præſtitum iri non deſperant, facilè in ſententia ferenda ad illius nutum & beneuolentiam ſe conuertunt. Quorũ eò deteſtabilior eſt improbitas, quòd ſanctiſsimo æquitatis & iuris inſtrumento, cuius moderatione reipublicæ ſalus & tutela continetur, abutuntur ad ſordes & impuritates ſuas. Itaque bene Pericles ad Sophoclem, qui conſpecto eleganti forma puero, exclamauerat, Decet, inquit, Prætorem non tantum manus, ſed etiam oculos habere continentes. Qui autem ita perturbationibus ſuis cruciantur, vt ſe non ſibi ſolis à natura creatos putẽt, ſed partem auaritiæ & ſordibus tribuant, partem libidini, partem gratiæ aut iracundiæ, quæ in defungendo magiſtratu hominibus illis peſtis capitalior eſſe poteſt? quod portentum ciuitati perniciosius? Phrynem meretricem Theſpienſem narrat Athenæus libro decimotertio Δειπνοσοφιστῶν, ab Anaximene quodam apud Athenienſes de crimine delatam eſſe: ſed cum illa pectus nudaſſet, totius or

tiũs ordinis ſententiis abſoluta eſt. Hoc certè qui feciſſet in ſympoſio,cũ fortaſſe depoſito pignore ad cõtrouerſiã vẽtũ eſt,excuſationem haberet:ſed qui in loco maiorum, extra quem ſalua imperij dignitate, ſaluis auſpiciis & legibus iudicari non poteſt,tam infame iudicium conſtituerit, is opinor ſit dignus qui non in ſenatum, ſed piſtrinum dedatur.Iam verò non impudentis tantum,ſed hominis prorſus diſſoluti eſt, in ea cauſa iudicare velle,cuius alteram partem vel omnium teſtimonio ſibi amore nefario deuinxerit. Sicut enim voluptate titillari & impelli humanum eſt, ita facinus eſt, mea quidẽ ſentẽtia,omniũ ſceleſtiſsimũ,in ſubſelliis & iudiciis libidinẽ ducẽ & magiſtrã ſequi.Sed qui ex ſceleribus ſuis fructum capiũt, illis forſitã ſit cõdonãdũ,ſi ea omnibus nota,& etiã publici iuris authoritate cõfirmata eſſe velint. Marcus quidẽ Cato Q. Flaminiũ cõſularẽ hominẽ Cẽſor ſenatu mouit, quòd is in Gallia Proconſul vt gratũ ſcorto faceret,hominẽ nocentẽ quẽ in vinculis habebat,pœna affeciſſet. Turpe enim & notãdũ eſſe grauiſsimus Cenſor exiſtimauit, petente meretrice etiã ſontẽ iuſto ſupplicio condemnari. Qui enim in republica magiſtratus gerunt, refrenent cupiditates,libidines coerceãt,affectibus imperẽt,& ſeipſos non tantũ in teſtimoniũ,ſed in iudiciũ vocent,vt eodẽ iure,quod in alios cõſtituerint,& vtantur ipſi.Is enim bene populo imperabit, qui ſibi ipſi prius nouerit imperare: eſtque perquam inuidioſum, eum cui à publico legis propugnatio decreta eſt, leges offendere.

Ad imaginem Neurorum.

Contra agentes in rebus.



Priſca tibi memorant homines miracula Neuros.
Queis ſubitò Antæi ſit data forma lupi.
Quis putet humani rutilantia ſigna decoris
Tam facilè in turpem degenerare feram?
An quia paſcendi quorum eſt cuſtodia ouilis,
Et quibus in populo ſors dedit eſſe duces,
In mediis faciles linquunt incurſibus agnos,
Et miſerum offendunt improbitate gregem?

NARRATIO PHILOSOPHICA.

NEVROS populos in Scythia ad Boriſthenē fluuium habitantes, memorant hiſtoriæ certis temporum interuallis, tanquam aliquo Circæo poculo ex hominibus lupos fieri, & humanitate velut pro derelicto habita, in conſuetudinem feritatis venire. Quòd ſi ægrè aliquis noſtrum in mentē induxerit, valebit tamē opinor apud nōnullos itineris longitudo, & fortè perficiet, vt quod à patribus traditū re ipſa experiri nequeūt, id doctorum hominum authoritati nō grauatè velint concedere. Quos tamē ſi nō adducimus, vt hoc miraculi genus ſibi perſuadeāt, poterunt tamen illos ni fallor domeſtica exempla ad eam rē ſatis inuitare. Quis enim eos lupos nō appellet qui in gubernaculis & moderatione populi degentes, fortunas ciuiū euertunt, hæreditates expilāt, & preſtātiſsimū egenorū patrimoniū rationibus ſuis referūt. Quis illos ab hominū tribu ad lupos trāſiſſe nō iudicet, qui quaſi ciuibus bonorū omniū tutores ex legis cōmētario dati, neq; à capite rationē reddūt, neq; ſe pupillis ſuis in eā ſummā debitores ſcribūt, qua nō ſolū eos naturæ vis, ſed etiā lex Dei nexu obligauit? Nā ſi poëtarū preclariſsimus Homerus, agētes in rebus ποιμένας τῶν λαῶν appellauit: appoſitè certè eos lupos nominemus, qui nō modò à grege ſuo oculos deiiciūt, ſed in eius dignitate minuēda, fortunisque omnibus expilādis occupātur, & ea ad ſe mācipio & fructu pertinere volūt, in quorū parte vel minima non ſatis ex æquo & bono ſe à tot ſæculis tutari potuerunt. Quòd ſi primùm ineun-

te Eccleſia ei qui omnibus bonis liberaliter datis mediocre quiddam ſibi recipiebat, pro nefario ſcelere datum eſt, & pœna auaritiæ conſtituta, quid faciet qui non tantùm ſua ſibi habet, ſed hæreditatem Dei & pauperum fortunas diripit, & dimenſum Domini ad amplificationē familiæ ſuæ conatur traducere. Nam vt nouiſsima cōferamus primis, cui tandem ex noſtris iudicatum non eſt, principes illos viros qui quondam Chriſtianam rempublicam legibus & inſtitutis fundauerunt, ita animo affectos fuiſſe, vt à propriis commodis oculos remouerent; ſeque propemodum & ſua à ſe longè poſuiſſe, vt reliquos eiuſdem fidei ſocietate Domino adiungerent. Qui cum omnem pro præſtantiſsima religione concertationem ſuſciperent, rebus ſuis non parcerent, & finem apud populum agendi non facerent, inter eos tamen inuentus eſt nemo, qui tot officiis piè & ſanctè ſeruatis non ſe officio ſuo defuiſſe certiſsimè iudicaret, Horum res geſtas pleno ore laudant omnes: illorum vitam imaginibus, trophæis & immortalitate conſecrant: quam etiam ſi facilè poſsint, nolint tamen imitando conſequi. Prædicatur à noſtris, & mea ſententia optimè D. Martinus, quòd hominem paupertate & vi hyemis planè confectum parte veſtis liberaliter conceſſa recrearit. Hoc tam peæclarum facinus ſi quis ex noſtris in populi corona faceret, ab omnibus opinor rideatur. Talium virorum exempla quotidie in tectis noſtris verſantur. quàm benignè, quamque hoſpitaliter erga ſuos ſe geſſerint, domeſtica monumen

men

menta nos ignorare non ſinunt. Sed tamen in ea opinatione ſumus vt non tantùm ad res tam præclaras accedere, & iiſdem beneficiis de noſtro homines demereri non velimus, ſed ſit nobis moleſtiſsimum parem illis rationem aſcribere, quorum opes non Chriſtus tantum, ſed etiam Eccleſia recens fidei noſtræ commendauit. Itaque maiorem in dies ex libertate cuiuſdam mendici voluptatis fructum capio, qui cum præſente me ſordidatus & ſupplex ab Eccleſiaſtico homine diuite precibus cõtenderet, vt illius opibus in ſumma ſua paupertate tegeretur: is vbi primùm ſe nihil proficere perſpexit, iam non vt reus aut pullatus, ſed quaſi quidam magiſter morum diuitem illum ſeueriſſimè increpauit: nihil ſe quod non ſuum eſſet petere aſſeurans, Tibi, inquiens, ſaluis legibus purpura & veſtibus oloberis indui, diffluere deliciis, & Chriſti patrimonio ad laſciuiam abuti poſsit licere: nos autem pauperes, quorum ſalus & Domino iucunda eſt, & vobis etiam commendata, fame & vulneribus oppreſſos, iacere: ex vobis autem reperiri neminem, qui diuitiis ſuis rationes tam afflictas & tantam calamitatẽ ſolari velit.

In Heſiodum.

Dij laboribus omnia vendunt.



Dic Aſcræe ſenex, quæ lentæ inſomnia noctis
Tam citò Pieriam te docuere chelym?
Sicne repentinum te Caſtalis vnde poëtam
Fecit, & Aonij ferre trophæa chori?
Sicne licet nobis ſpatiantibus eſſe peritis?
An cuius pauo Pythagoræus adeſt?
Dij ſolis almas vendunt ſudoribus artes:
Non alio eloquium Palladis aſſe licet.

ALIVD.

Qui ſibi Cecropiæ quærit monimenta Sophiæ.
Et clara Aetherei ſydera noſſe poli:
Temporiſque, & cauſas fugientis cernere lunæ
Et tota Auſoniæ diſcere iura togæ:
Non Crœſi ingentes loculi, non Perſica gaza
Caſtalias potis eſt ſollicitare deas:
Sola labor gratæ confert compendia palmæ,
Sedat & immodicæ pocula larga ſitis.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

HESIODVM vetuſtiſsimum poëtam accepimus cõfectis apud Heliconẽ aliquot ſpatiis, poëtã repẽtè euaſiſſe. Et Enni⁹ ipſe Homeri animã per quietẽ in corpus ſuũ infuſam eſſe prædicabat. Vetus enim fuit, & iã ab antiquis ducta tẽporibus opinio, animas poſtquã his ereptæ vinculis in cęlũ euolauerãt, iterũ deorũ immortaliũ iuſſu in corpora migrare. Cuius ſentẽtiæ Pytagoras ſummus philoſophus princeps fuit. Verũ quem tandem exiſtimamus tãtùm gratia & authoritate apud Dominũ valuiſſe, vt nullis vigiliis ſuis, nullo ſtudio & tãquã aliud agẽs, artibus iis quæ cognitione percipi poſſunt, omnibus inſtructiſsimus euaſerit. Salomonẽ quidẽ referũt hiſtorię rerũ diuinarũ & humanarũ notitia à Domino auctũ eſſe: tãtaq; fuit in homine illo rerũ varietas, vt de omnibus quę in diſceptationẽ cadere poſſunt & natura rerũ cõtinẽtur, ſciẽtiſsimè diſputaret. Sed hoc Salomõi, cui⁹ gloria Deo gratiſsima erat, licuit: nobis forſitã, quib⁹ pau

pertatis & rerum externarum deſpicientiæ partes à Chriſto attributæ ſunt, non licebit. Itaque qui ita animo eſt affectus, vt nihil ſit quòd malit quàm ſe quam doctiſsimum eſſe, vix temerè ad rerum magnarum cognitionem productus eſſe poterit, niſi omni ſtudio, opera, contentione in eam partem incũbat. Nam ſi eos meminiſſe lubet, à quibus præclara illa literarum monumenta ad nos deuenerunt, quis illorum non impiger, quis non diligentia planè incredibili in libris animum ſuum defigebat? Plinium, eum qui libros naturalis hi-
„ ſtoriæ conſcripſit dixiſſe accepimus, omne tem-
„ pus perire, quod non ſtudiis impenderetur. Et philoſophi, cùm ſibi perſuaderent rerum magnarum ſcientiam ſine ſummis laboribus percipi non poſſe, doctrinæ ſtudia nunquam intermiſerunt, & ad extremam ſenectutem in gymnaſiis ſuis garrierunt. Nam & Iſocrates eum librum qui Panathenaicus dicitur, quarto & nonageſsimo ætatis anno ſcripſiſſe fertur. Neque Gorgiam Leontinum, qui centum & ſeptem compleuit annos, ætatis progreſſus à ſtudiorum dimicatione reuocauit. In quibus, ſi Græcus & ea conditione vir, vt de omni re quæcunque proponeretur ſe ornatiſſimè dicturum prædicaret, tantum operæ poſuit: quis tandem per noctis inſomnium doctrina excellens eſſe poterit? Sed tamen homines quidam tanta celeritate quæ diſcuntur arripiunt, vt non tam primum ſcire, quàm reminiſci videantur. Qui autem ea ſunt animi tarditate, vt niſi ſerò, & inuita quòd aiunt, Minerua aliquid in ſtudiis promoueant,

moueant,contentius in opere ſunt,ſed ediſcũt tamen : neque enim quicquam eſt quod labore non ſimus aſſecuti,& ſi intenderis ingenium valet . Et multos audiuimus imperatores, qui in rebus planè exulceratis tanta fiducia ſunt elati , vt ea oppida,quæ vel opere ipſo , vel loci natura expugnari non poterãt,labore & diuturnitate obſidionis capere ſe poſſe nõ deſperarent: quorũ tantùm valebat audacia, vt ſæpiſsimè cõtra opinionẽ hominũ pręclariſsimas victoriasdomũ referrent.

Simulachrum trium Gratiarum, Aglaiæ, Euphroſines & Thaliæ.

In amicitiam hodiernam, hoc eſt, vſque ad pecuniam excluſiuè.



Quiſquis amas Charitū præſtantia dona ſororū
Subſidióque tuos expetis eſſe tibi.
Ciuibus obſequere, & ſtudijs te dede tuorum.
In meritis laus eſt non tenuiſſe malum.

ALIVD.

Túne verecunda pingis Polyclete tabella
Artifici Charitum corpora nuda manu?
Cur non Aſſyrio ſpectatur Aglaia cocco?
Et comites cur non byßina palla tegit?
Hæc ſunt ſynceræ fulgentia ſtemmata mentis,
Quæ ſua dum confert omnia, nuda manet,
Anteit vna, duæ retrò veſtigia figunt:
Sic debet meritum gratia bina ſequi.
O quantum antiquo iam nunc deceßit honeſto?
Quis nequeat noſtra de pietate queri?
Namque ſocer genero ſiclum vix mutuat vnum,
Ni traiectitium ſentiat ille lucrum.

TRES gratias,præclariſsimum poſt homines
natos retinendæ nos inter nos ſocietatis mo
nimentũ,nobis poëtæ in fabulis reliquerunt: quo
rum ſolertiam pictores imitati, aditum homini-
bus ad ea officia diligenter colenda aperuerunt,
quibus humanæ vitæ ſplendor & honeſtas cerni
ſolet.Nam in tabulis ſemper nudæ exprimuntur,
& ea forma,vt vna aduerſo vultu procedere, aliæ
autem auerſæ ſubſequi videantur. Quæ res non
tantum ad referendam gratiam, & ad bene meren
dum de eo à quo primùm beneficio aucti ſumus,
animos noſtros incitare debet,ſed ad omne pieta-
tis & obſequij genus reddere paratiores. Quan-
quam enim ad φιλαυτίαν & amorem quẽ primùm
in nobis natura peperit,conſentaneum minime vi
deatur,tantùm de tuo largiri vt poſtea alieno indi
geas:eſt tamen & Charitum naturæ & Euangeli-
cis noſtris præceptis perquam accommodatum
de dimenſo tuo detrahere,vt alterius infirmitatem
opibus tuis leues.Si enim non pauperum tantùm,
ſed æqualium noſtrorum fortuna tantopere no-
bis à lege commendatur, vt præter officium face-
re videatur, qui magis ſe quàm proximum bene-
uolentia fuerit complexus:grauiter opinor ſit ar-
guendus, qui proximum in aduerſis rebus non ad
iuuerit.Nam anguſtè rebus tuis vti, vt aliorum te
nuitati ſis officioſior,liberale & Chriſtianum eſt:
eæque ſolæ res extra fortunam eſſe à poëta memo
rantur,quas amicis lubens contuleris: neque vn-
quã pecunia apud nos magis in numerato & præ-
ſens eſt dicenda,quàm cum beneuolè neceſſariis&
egenti

egẽtibus ſuppeditatur. Cũ enim aduenerit moriẽdi tẽpus, & vitæ & fortunis cedendum eſt: ea autẽ » ſola tua ſunt benefacta quæ in alios collocaris. Ne » que enim quicquam eſt principi illi Deo infeſtius quàm res eas quas ſumma ſua beneuolentia & benignitate nobis conceſsit, tam clauſas & obſignatas tenere, vt neque domini qui eas tenet, neq; cæterorum vtilitatibus inſeruiant. Sed quam à Deo acceperimus, eadem illi referenda gratia eſt: maximéque erit enitendum vt pauperibus rem gratam faciamus: quibus ſi quid præſtitum eſt, tanquam ſibi collatum Deus rationibus ſuis infert. Quia autem nullum eſt officium referenda gratia magis neceſſarium, in eo genere primũ pictorum in pingendis gratiis ſagacitatẽ ſequemur, deinde & Heſiodũ authorẽ adhibebimus, qui iubet aut eadem » menſura referendum eſſe beneficium, aut etiã ma- » iore ſi modo facultates noſtræ largiantur. Sed » quia homini pudenti & bene informato moleſtũ eſt ab illo aliquid contendere, cui aliquando fuerit officioſus, ei qui primùm beneficio prouocatus eſt, erit videndum, qua in re, ab amico beneficiũ ſuũ deſyderari poſsit: neque enim in eo quod vltro facere debet interpellatio expectanda eſt: illudque amicitiæ & petentis verecundiæ erit tribuendum, ne non tam is rogare obſequium, quàm vetus debitum exigere videri poſsit.

Contr

Contrarium priori.

Ερμώνιο χάρις.



Quid tibi nobiſcū eſt furioſo Hermonia vultu,
Cui dextram ſemper trita lacerna tegit?
Cuíque rapax leuæ medios ſupereminet vngue
Polipus, ingrati ſigna ſupercilij.
Hinc effer ſcelerata pedem, teq́ abde tenebris,
Nec tibi ſit tota dictus in vrbe locus.
Num ſatis eſt mentis generoſa inſignia Gallæ
Tam ſubito calabris contemeraſſe notis?

NARRATIO PHILOSOPHICA.

HERMONIAM gratiam iis quas ſuperius memorauimus veteres ex aduerſo poſuerunt: ex cuius opinor officina capitalis illa vox eſt profecta, quæ ſeipſum omni officio & ſtudio complecti, eam demum ſummam & bene conſtitutam charitatem eſſe cenſet. Illi nihil vnquam probari potuit, niſi quod cum priuata vtilitate rationē coniunctā habet: & ei cum præſtantiſsimis virtutibus, quæ homines ad mutua benefacta exuſcitāt æterna prope eſt diſſociatio. Quia enim regalis illa Ieſu Chriſti ſentētia, Hoc vnū tibi ſupereſt, vende omnia quæ habes, & ſequere me, vel ab iis qui chriſtianæ diſciplinæ principatum tenent, repudiata eſt, placuit vt de ſaluberrimi decreti abrogatione ad ſenatum referretur, tandemque populare ſenatuſconſultum factum eſt, ex quo qui commodis ſuis immorerentur, neq; de pecuniis cogitandi tempus vllum intermitterent, diligentiæ & etiā charitatis virtutiſq; omnis laudē ferrent. Et quemadmodum apud Ariſtophanem quidam dij, quia parum vtiles è ciuitate eiiciūtur: ita noſtri eas virtutes quæ ſine aliqua patrimonij iactura explicari nequeūt, reliquarū ordine mouēt, & quaſi ſtipē diis expungūt. Quorum cupiditati eò minus iudicio optimorum mos ſit gerendus, quòd non tantùm in eo genere offendunt, ſed facinus ſuum honeſtatis patrimonio conātur prætexere. Quem enim ex illo hominū numero reperias, qui nō eos potius inuidos, qui iſta damnant, quàm cæteros qui approbāt ſtultos & demētes arbitretur.

Apud

Apud neceſſarios ſuos in creditum ire pro ſcelere habent, quaſi ea re filiorum cauſa fiat deterior in quo non vident homines inepti, nullum patrimonium præſtantius à patribus filiis relinqui poſſe, amicitia & neceſsitudine, ex qua ſæpiſsimè filii maiores quàm ex paternis bonis fructus capiunt. Se & Chriſtianos & viros bonos appellari volũt, Chriſtianas autem actiones ne attingũt quidem. In beneficiis collocandis fortunã ipſam, non mores aut genus ſequuntur: quod eum qui aut bene moratus, aut conſanguineus eſt, ſatis inſita illa bonitate aut coniunctionis vinculo ad illorum compendia incitatus ſit futurus. Apud eos glorioſum eſt citò rem facere, & ipſo momento ex paupere diuitẽ apparere: quod tamẽ ex eis qui inter Ethnicos ſapientes habiti ſunt, laudabile duxit nemo: qui autem pauco contenti viuunt, quia illis forſitan ad rem ſuam locupletandam de foro adiumenta deſunt, & ſtolidi & ignari nominantur.

Ad Tenediam ſecurim.

Tribunal boni iudicis.



Prodigioſa vides Tenedæ tormenta ſecuris,
Quam vigil aduerſo Rege viator habet:
Illa patronorum mendacia ſtulta coercet,
Et captis reſecat crimina pignoribus:
Imperat & poſitis rabioſa ſilentia multis,
Incœptiſque iubet litibus eſſe modum:
Condignáſque frequẽs adfert ad iurgia pœnas,
Sic omnis ſenſim cauſa ſopita manet.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

IN Tenedo Helleſponti inſula longè celeberrima, nunquam reges forum egiſſe memorantur, niſi adeſſet lictor cũ ſecuri, qui iudicantis maieſtatem apud eos qui ſe vadimonio ſtitiſſent, tueretur. Nam & ſi Ageſilaus qui apud Spartam magna cum laude imperauit, principem beneuolentia magis inter ſuos ſeptum eſſe debere, quàm armis exiſtimauerit: tamen cùm nihil ſit tam ſanctũ quod non hominum violet audacia: eſt mea quidem ſententia iudiciorum dignitati ſummè conſentaneum, eos metu ſupplicij petulantia ſummoueri, qui loci religione & ſedentis dignitate in officio nequeunt retineri. Itaque ſapienter veteres lege lata minoribus magiſtratibus modicam coërcitionem detulerunt, quaſi ſine ea iuriſdicẽdi munus diutius ſtare non poſſet. Iam verò is eſt noſtrarum rerum ſtatus, vt quem locum maiore & obſeruantia & cultu honorandum eſſe maiores ſtatuerunt, is certè turbulentiſsimus & importunitatis pleniſsimus appareat. Qua enim fronte, qua verecundia, quo vultu in agendis cauſis verſantur illi qui procuratores nominantur? Nam, vt omittam fidem (qua tamen vna iudiciorum authoritas maximè continetur) quid illis hominibus in dicenda cauſa petulantius, quid magis importunum & loquax? ita verò dicunt vt non precario, ſed vi & armis in præclaram illam ſedem veniſſe videantur: in mala cauſa ita plerunque quiritant, vt nõ æquitatis comparatione, ſed ſtrepitu & clamore diſceptari quæſtio videatur. Eas lites quas vel ipſo nomine

mine ex inuidia laborare animaduertunt, ita tranſigunt, vt nihil niſi per contumaciam & eremodicium cum aduerſario gerant. In quo tantum calliditate & aſtutia valent, vt etiam eos qui præſentes liti adſunt, quaſi defuerint condemnatos faciant. Quorum eò capitalior eſt improbitas, quòd is locus quem maiores ſacrum, & qui ei præeſſent ſacroſanctos magiſtratus appellauerunt, iſtis dolis omnino deformatus iacet: cuius tanta fuit apud Romanos religio, vt eum qui altius in curia ſternutaſſet, multa dicta in carcerem coniicerent. Neque enim rabulis & proclamatoribus de foro debet dari ad dicendum locus: quique magis firmitate vocis & laterum contentione, quàm momento rationis ad cauſam inſtructus venit, ei opinor plurimum iudex ſit conceſſurus, ſi conſilium dimiſerit.

In veterem morem.

Contra parentes qui filios ſine iudi cio in monaſteria coniiciunt.



Filius ex alto grandæuum ponte parentem,
In rapidas quondam præcipitabat aquas.
Sed nunc in miſeros reiecta eſt alea natos,
Et patrias norunt in ſua fata manus:
Anne quod inuitos in clauſtra immania natos
Sub rigida impellunt religione patres?
Súbque feris cogunt traducere legibus æuum,
Et quaſi piſtrini voluere pondus iners?

NARRATIO PHILOSOPHICA.

NEc verò illud omittendum puto, quod & præſentis Chriſtianorum luctus indiciū eſt, & præteritæ calamitatis ſignificatio, ad eum ſtatum res noſtras conſtitiſſe, vt deliberatius multò ad ſtipulationem rerumq́ue contractarum negotia, quàm ad vota religionis nuncupanda accedamus. Nam qui res mancipij emunt, aut pecuniam ad fœnus collocant, non prius negotium tranſigunt, quàm rei quæ in contractum venit cōditionem, & debitoris qualitatem accuratè perſpexerint: at in monaſteriis capeſſendis, tantus plerunque eſt noſtrorum hominum impetus, tanta voluntatis incitatio, vt re ſæpe non quæſita eò ſe cōpingant, vnde aliquando ſeſe vellent explicari. Ac profectò diu eſt deliberandum quod ſit ſemel ſtatuendum, neque longa voluntatis permanſio in eo eſſe poteſt, quod temere & ſine iudicio ſis aggreſſus. Sed tamen temeritatis ſuæ penſum ferant, & de ſe ipſi querantur tantùm qui ſe ſcienter neceſsitate voti alligarunt. Qui autem ea ſunt ætate vt de bonis aut fugiendis iudicium ipſi ferre nō poſsint, & in honeſti & turpis delectu omnino cæcutiant, non videantur in culpa eſſe, ſi iuſſu & ſeueritate parentum adducti ei ſe vitæ generi addixerint. Incredibile profectò immanitatis exemplum, tam parum filio patrem proſpectum velle, vt id ab eo exigat, quod ipſe ſibi in vita præſtare non potuit. Neque verò mea ſententia quicquā ſceleratius in vniuerſa Chriſtianorum communitate dici poteſt, quàm quòd inter nos vulgo audi-

tur,ab aliquo parente, filium vnum aut plures in monaſterium elocatos eſſe.Indigna certe Christiana religione ſententia:non enim aptè neque ad decorum accommodatè dicitur , Pater filium ſuum monaſterio deuouit:ſed & melius & ad voti naturam ornatius,filius ex politica ad monaſticam vitam diſceſsionem fecit.Nã ſi in his quæ facti ſunt ex Iuriſconſultorum ſententia patria poteſtas nõ cernitur,ſi qui monaſterio ſe obligãt,põtificali authoritate ab imperio patris abſoluuntur, quid eſt quod in religioſa vita attingenda plus momenti & ponderis paternis iuſsis quàm liberorum volũtati tribuatur.Non enim ex patris aut cuiuſquam alterius vindicis aurhoritate ingreſſus ille metiendus eſt,ſed eius qui in illa vita ſibi ſeneſcendum eſſe putauerit,voluntas erit ponderanda, qui ſi ſe totis animis tali ſolitudini velit applicare,verendum opinor nõ erit,ne non Deo propitio & laudatore id feciſſe iudicetur . Non eſt verò conſentaneum quoſdam aliorum cauſæ tam parum æquos eſſe, vt vitæ ſuæ felicitatem in viola & roſa ponant , in cæteris autem vitam beatam etiã in taurum Phalaridis putent deſcenſuram. Et quæ tanta eſt iniuſtitia , vt qui ægrè in matrimonio pudicitiæ leges ſeruauerit,alios in cœlibatu velit eſſe continentes. Quæ non eò à nobis dicuntur,vt eos qui ſe à negotiis popularibus ad illud vitę otiũ contulerunt,de ſententia decucam. Bellisſimè enim cũ eo videtur agi,qui ex Pauli conſilio animũ ſuum abhac forenſi vita, tãquam ab aliquo libidinis ſcopulo,ad cœlibatum appulerit : ſed patribus venia danda non

eſt

eſt,qui vel imprudentes vel etiam inuitos liberos ſuos eo nexu deuinciũt: quaſi verò Deum optimũ maximum in conſiliũ adbibuerint,qui ſolus quos voluerit beneficio continentiæ augere poteſt. Ac ſanè finem nunquam inueniet cupiditas,cuius nota ſi qua nobis impacta eſt, facilè omnes pietatis & iuſtitiæ leges ex animis noſtris delet & diſpungit.Ex qua & illa labes nomini Chriſtiano inuſta eſt,vt qui patrimonium ſuum cumulatius facere volunt,& nonnullis filiabus conditionem ampliorem quærere, cæteras in monaſteria coniiciant. In quo turpe & flagitioſum eſt tantùm quæſtu & lucro retineri,vt filiorum ſalus futura vita negligatur. Sed hæc fortaſſe fruſtra apud eos,qui comparatione pecuniæ non habent quod laudare poſſint.

In Liſymachum.

In eos qui diuitiarũ dulcedine deliniti ad Eccleſiæ gubernacula accedũt.



Empta placet multis funeſta clade voluptas.
Et magnò interdum pœnituiſſe licet.
Diſce ergo, & triſtes veterũ reminiſcere caſus,
Quos latuit verus poſteritatis honos.

ALIVD.

Liſymachus ſitiens ſæuo ſe dedidit hoſti,
Poſſet vt irriguo fonte leuare ſitim:
Qui poſtquam expleuit largo præcordia potu,
Dicitur his lachrimãs verba dediſſe modis:
O decies, breuitate ſui miſeranda vòluptas,
Cuius in exortu tam citò finis adeſt.
Tẽ ne amens tam torquet opum veſana libido,
Quas nec aquis pretio dixeris eſſe pares,
Vt cleri in numeros venias, & muneris impar
Des conſanguineo nomina pontifici:
Dum tu diuini ſperas inſignia fundi,
Et patrui ſacras iam morientis opes:
Queis ſine ſæua ferox in prælia principis iſſes,
Aut vxor votis eſſet amica tuis:
Quamuis hoc etiam nobiſcum pignore certes,
Vt iam tota tuo manzere terra fluat.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

SApienter maximus ille eloquendi magiſter Appollonius Molo, qui quanquam mercede doceret, non patiebatur tamen diſcipulos apud ſe operam perdere, ſed vnumquenque ad id quo naturæ ductu ferebatur, dimittebat: fruſtra enim animi neruos intenderis ſi natura & ingenij vis non ſuffragatur. Sed quemadmodum terra non ad omnem ſeminis rationem ſeſe accommodat: ita nec hominum animi ad omnes artes capeſſendas parati ſunt. In ſemine igitur ſpargendo agricolæ, & in ſcientiis edocendis magiſtri naturam & mores explorabunt: homines autem in opere Eccleſiaſtico & ſacris faciendis occupati, propenſitatem naturæ ductumque ſuum non videbunt? quorum humeris nititur communis ſalus, quorum deſcriptione leges, æqui & boni ſtudia, ciuium æqualitas, religio, virtus omnis, denique & totius reipublicæ nerui continẽtur. in quorum tutela pacis ornamenta iacẽt, & quibus quaſi ducibus inimicorum iniurias à capite noſtro propulſamus. Qui Dei optimi maximi auſpiciis & renuntiatione, orbis teræ prouinciam cum imperio ſunt ſortiti, vt de pietate & iuſtitia inter homines ſoli ſtatuerent, his honeſtum eſſe poſsit in petendis eccleſiæ magiſtratibus, & vitæ genere deligendo cupiditatem & ambitionem potius, qnàm naturam ſequi. Quòd ſi ex Pauli ſententia, nemo dignitatem in eccleſia prenſare debet,

niſi vocatu ſummi Dei, vt de præſtantiſsimo illo „ ſacerdete Aaron vetera ſcripta teſtantur: quæ tanta in hominibus noſtris honorum appetitio eſt, vt auaritia cæteriſque animi ægrotationibus perturbati, ſe in ea munera vitæ compingant, quæ niſi à ſummis & laudatis viris non poſsunt explicari. Quòd ſi tantùm ex auaritia & cupiditate laborant, vt inter maximas opum lenitates ſalutem ſuam (qua nihil homini commendatius eſſe debet) aſpernentur: quæſo ne in eandem necis perniciem vocent eos qui infirmitate conſilij minus ſibi poſſunt proſpicere. Quot enim homines rerum agendarum imperitos, & de via longè aberrantes in populo reperias, qui ſi aliquem ex his quibus procuratio rerum diuinarum data eſt, virum bonum & de ciuium ſalute vigilantem nacti fuerint, non facilè ad rectam rationis & officiorũ omniũ normam dirigi poſsint. At forſitã in officio nõ eſſe, & ea negligere quę gerere curareque debeas, moribus noſtris leuiſsima culpa eſt, niſi ad tantam negligentiam etiam improbitatis multorumque ſcelerum accederet infamia. Hæc certè qui tolerant pernicioſiſsimum quiddam inducunt in eccleſiam, vt neque contracta ex antecedentibus vitiis labes abſtergi, neque res tam inclinata vnquã attolli poſsit. Ex his opinor magnorum hominum de religione controuerſiæ, ex his bella inteſtina, ex his maximæ tempeſtates populo Chriſtiano ſemper acciderũt. Nam quæ tanta Dei beneuolentia erga nos eſſe po
teſt

teſt,niſi vulgaris?quæ placabilitatis ſigna niſi obſcura? An verò eum populum benignitate & largiſsimis officiis ſuis complectatur Dominus, in quo qui deprecatores ex lege ſunt,ad ipſas deprecationes omnium flagitiorum turpitudinem adiungunt? Quid, qui ad decretas more inſtitutoq; maiorum ſupplicationes non ſit venturus,niſi pecuniæ & præbitionis expectatione,is ne apud Deum immortalem in iis orationibus, ad quas pro populo erit aſſumptus,voluntate & gratia valere poterit? Sed non eſt conſentaneum in ſacris faciendis cupiditatem & auaritiam adhibere. Nam (vt inquit Dominus) ἐὰν τὸ ἅλας μωρανθῇ, ἐν τίνι ἁλισθήσεται? Et ſi ij,quorum pietate & precibus ira Dei, tanquam aliqua machinatione ad beneuolentiam contorquenda eſt,malè actæ vitæ conſcientia cruciantur,in quo tandem ſpes ſalutis erit collocanda? Et ſi qui legum authoritate & bonorum omnium ſuffragiis oratores apud Deum ſunt electi, in tanta vitæ indignitate verſantur, vt ipſi pro ſe dicere reformident,quidnam illi in aliorum cauſa aſſequi ſe poſſe confidant? Verùm quia peccandi neceſsitas neſcio quo fato hominibus attributa eſt,iis opinor ignoſcendum erit,qui ipſi domeſtica teſtatione ſeſe reos non diffitentur: ſed qui furtis religionum,auaritia,reliquiſque ſceleribus impuri,non tantum ſe de reis eximunt,ſed eos qui contra ſtatuerint hæreticos audent nominare, nō video ſanè quodnam rei tam contemeratæ & infami patrocinium afferatur. Demoſthenes quidē non tā ſua quàm reipublicæ cauſa Philippo Ma-


ced

cedonũ regi infenſus, dicere ſolebat πυθίαν φιλιππίζειν: quòd in exponendis Appollinis Delphici reſponſis, pecunia ſe à Philippo oppugnari pateretur, & ab eo religionis calumniam contra Athenienſes deduceret. Ita quidam homines (nollem certè noſtros) quia ampliſsimis ſacerdotiis aucti religionis principatũ tenẽt, Euãgelicæ legis authoritatem ad ſcelerum ſuorum prætextum traducunt, & illo veluti caduceo ſordes ſuas non impunitate ſolùm, ſed honore, congiario & vacatione perſequuntur. Quòd ſi quis eſt reipublicæ amantiſsimus, qui præſtantiſsimas illas dignitates nefario ſcelere violari ægrè ferat, is illorum ſententia & patriæ hoſtis & de religione malè ſentiens iudicabitur: quaſi verò ſit iniquum contra eos de ſacro commiſſo querelam perferre, quos veterum conciliorum authoritas de leuiſsimis noxis ad pœnam expetebat: aut etiam is de religione temere loquutus iudicari poſsit, qui ſcorta, qui auaritiam, qui ſacræ pecuniæ dilapidationem maleficiorum loco & nomine habuerit. Ego verò ſi qui cum vitiis & ſceleratis prælio decertant, & miſeri & hæretici ſunt, in illo equo cum hæreticis viris includi non recuſabo. Poteſt verò tam præclaræ ſententiæ ſocietas turpis eſſe? poſſunt qui de pœnitentia & cæteris virtutibus decreta ferunt, impij nominari? iis denique mors calamitoſa & terribilis eſſe poſsit, qui pro re tam egregia vitam conſtanter perfuderint?

In

Exemplum ſapientis & ſtulti.

Longinquitas temporis adfert omnia.



Vir ſapiens caudam paulatim vellit equinam
Quam non vna ſemel vis ſuperare poteſt.
Tẽpus edax, variiſq; labor tibi cũcta repẽdẽt:
Aude igitur, nec ſpe deiiciare tua.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

PRAECLARA certè illa à veteribus vſurpata ſententia, par eſſe omnes omnia experiri, qui » res magnas & magnopere expetendas concupie- » runt. Sed tamē in iis qui deſperatione minimè debilitati illud curſum tenere ſolent, varij ſæpe & mutabiles caſus acciderunt. neque enim magna ſequentem ſatis eſt ſpe aſſequendi non deiici: ſed ea præparatio adhibenda eſt, ex qua non omnino incerta potiundi expectatio conſequatur. Nōnulli autem ſunt qui quanquam à rebus magnis difficultate non poſſent remoueri, quia tamen ea ſibi non deligebant, quæ ad potiundum accommodatam & coniunctam rationem habent, ſæpiſsimè in media contentione reſtiterunt. Nam & aliquæ ſunt res, quæ primo impetu neque diligentia, neque labore teneri poſſunt: eædem beneficio temporis & patientia facilè ſuperantur. In his adipiſcendis ſi quis tam malè de rebus iudicat, vt neque euentum ſuſtinere, neque deſyderium ſuum aliqua ſpe lenire poſsit, plerunque accidit vt temeritatis ſuæ pœnas luat. at verò & alia ſunt permulta, in quibus niſi prima aggreſsione animum intenderis, eas non ſis adepturus. In his omnibus qui acres officiorum diſceptatores eſſe volunt, iudicium adhibebunt, vt quoties res ita poſtulabit, vel rem celeritate incredibili exequantur, aut in laxiorem diem negotium trahant. Cn. quidem Pompeius vir omnis memoriæ & omnium ſæculorum princeps, Caium Cæſarē in Macedonia pugna memorabili fuderat, & vel ipſius Cæſaris teſtimo

ſtimonio bellum ciuile penè confecerat, ſi in tam proſpera fortuna hoſtium reliquias eſſet perſecutus. Sed præſtantiſsimo imperatori vincere parua
" quidem res eſt, niſi etiam victoria vti poſsit. Itaq;
" miſera illa prælij Pharſalici fortuna conſecuta eſt, & Pompeij direpta caſtra: hacque vna plaga accepta populi Romani maieſtas & ſplendor concidit. In eo prælio Pompeium ſuis ferunt edixiſſe, quod etiam ab ipſis Lacedæmoniis ſæpiſsimè factum accepimus, vt impetum inimicorum, & primos illos motus patiendo ſuſtinerent, & quo ad eius fieri poſſet à ſuo capite depellerent: ſe autem ad nocendum ſeruarent, cum aduerſa acies penè defeſſa & labore confecta videretur. Quod tamen C. Cæſar neque probat, neque à Pompeio ſummo imperatore edictum eſſe exiſtimat. Eſt enim, vt
" inquit ille, quædam incitatio atque alacritas in
" nobis quæ ſtudio pugnæ ducitur. Hanc non re-
" ſtinguere, ſed inflammare imperatores debent.
" Contra verò Carolus is, qui ad deditionem compulſa Ioanna regina Neapolim & vtranque Siciliam occupauit, Ludouicum Andem cum maximo exercitu venientem fugiendo fregit, neque cũ eo intempeſtiuè bellum committendum eſſe exiſtimauit, quem aliquando temporis longinquitas eſſet oppreſſura: neque vnquam adduci potuit vt in eum acies ſuas explicaret, quem patientia frangi poſſe non diffidebat.

In virgam Palladis.

Scientiam ditare.



Virgula, Cecropiæ quondam ſacrata Mineruæ
Fertur Amalthæa plura dediſſe capra.
Eius enim optatis ſuccedent omnia votis,
Cuius in acceptum ſe dabit illa ſinum.
Illam Neritium fractum labentibus annis,
Ad pubertatem reſtituiſſe ferunt.
Quiſquis Palladias totis quinquatribus artes
Emit, & Aonij pocula ſacra iugi,
Huic nil deeſſe poteſt, hunc pleno copia cornu
Imperat Attallica conditione frui:

NARRATIO PHILOSOPHICA.

OPTIME certè & ad rerum maximarū diuturnitatem accōmodatiſsimè machinata eſt natura, vt in quibus rebus multum operæ & laboris impendimus, in his mirifici vtilitatis & commodorum fructus conſequantur. Quæ res ad leuationem vigiliarum, quibus qui in ſtudiorum curſu verſantur ſeipſos conficiunt, magnopere valitura eſt. Quis enim tam parum ſui memor à natura eſt effectus, quem non aliquando in ſtudiorum contentione præmiorum & dignitatum ceperit expectatio? Quis tot noctes & dies commodorum magnitudine non ſarciat? Nam nec mea ſententia principes illi Philoſophi, qui quondam doctrinæ ſtudiis nomen ſibi immortale pepererunt, tantum in gymnaſiis contendiſſent, niſi ad ipſam gloriam, vtilitatis ratio acceſsiſſet. Quot verò exiſtimamus ſpe lucri maiores ad nauandam in literis operam eſſe factos? Nā & Plato, qui primus nouum & perfectum eloquendi genus ad Philoſophiam attuliſſe fertur, non exiſtimauit à dignitate & Platonis & Philoſophi alienum eſſe, ſi clientelis foroq; Dionis & Dionyſij tyrannorum vteretur: paucique ſunt tam duriter Stoici, qui ſummorum regum & principum liberalitatem defugerint. Optima igitur ratione in eo conſilio quod turbulentiſsimis Eccleſiæ temporibus Baſileæ habitum eſt, decreuit conuentus frequēs, vt ij ſoli ad beneficia & magiſtratus ordinatum in eccleſia petendos vocarentur, qui vel Theologiæ, Iuriſq; ſtudiis, vel humanioribus literis præſtantes haberentur.

tur:quodetiam memoria noſtra cõuentorum fide præſtita,inter ſedem & Regnum confirmatum eſt. Vt ij ex quorum ludo principes viri ad reipublicæ gubernacula aptiores eſſe ſolent, fructum aliquem caperent contentionis & operæ ſuæ.Sed tamen quotus quiſque eſt qui in beneficiorum deſignatione facienda,non magis affinitatis & amicitiæ, quàm virtutis & ſcientiæ cauſam ſequatur: quiq; non potius ex domo hiſtrionem aut corum, quàm eruditum hominem de ludo inſtituat? Bene enim ſe rem habere putãt,ſi quibus auſpiciis in eas dignitates aliquando ſunt adlecti, iiſdem cæteri homines illorũ authoritate magiſtratus ineant.

In oraculum Appollinis Sybarithis redditum.

Deus dignitatis & gloriæ ſuæ retinẽs.



Sybaris arcanas cupiens cognoſcere cauſas,
Fatidicos fertur conſuluiſſe deos:
Auditũ ex tripode eſt, aderit tũ terminus vrbis
Et cadet infeſto cuſpide gentis honos,
Quum plebs diuinos mortalibus addet honores,
Et quum homine incipiet vilior eſſe Deus.
Impie quid properas homines æquare Tonanti?
Te docet extremo Sybaris vſa malo.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

PERNICIOSVM & infame genus eorum hominum Paulus exiſtimauit, qui cum anniuerſarios ſyderum aſtrorúmque motus, cæleſtiáque ipſa contuentes præſtantiſsimis teſtimoniis maieſtatem Dei ſibi perſpectam cognitamque habuiſſent, tam ſe naturæ immutarunt ſuæ, vt in hæreditatem gloriæ, quam ſolam Dominus amplitudini ſuæ propriam eſſe iudicauit, homines deducere non formident. Quæ enim vlla hominibus cum Deo optimo maximo laudis ſocietas eſſe poteſt, niſi leonina? vt cum omnia ſumma de Deo prædicaris, nulla vel minima pars ad hominē traduci poſsit. Et certè per Eſaiam Dominus velut teſtatò prædicauit, ſe gloriam ſuam alteri non daturum. ,, Quis enim tam parum ſacra monumenta cognitione attigit, qui nō videret aliquando Deū gloriç ſuæ tam Zelotem eſſe, vt alium in poſſeſsionem illam venire temere non ſit paſſurus? Magiſtratibus quidem & iis quos fortuna in ampliſsimos dignitatum euexit gradus honorem tribuere, & ethnicis & Chriſtianis iubemur decretis. Nā Mariæ ſorori Moſis, quòd cōtra fratrem ſilentiarium Domini liberius eſſet locuta, ex continenti pœna temeritatis à Domino conſtituta eſt. Et pueri qui Heliſæo cum Iocis & riſu obuiam proceſſerant, à canibus diſcerpti ſunt. Cenſus verò qui à populo regibus inferretur, à Samuele iuſſu Domini deſcriptio facta eſt, vt omnibus notum eſſet eos quos Deus tantis dignitatum inſignibus decorauit, à nobis quoque ſumma obſeruantia coli debe-

re. Sed tamen ſi qui ſint inter noſtros tam minuti Philoſophi, vt Deum & principes viros eodem honoris concludant loco, tales inſanos & dementes impunè quiuis iudicauerit.

Quid enim, inquit poëta ingenioſus, *ſibi c edere de ſe*
Non poßit, cum laudatur diis æqua poteſtas?

Iam igitur qui in aulis degunt, maximam ſe gratiam apud principes inituros ſperant, ſi eos diuinis laudibus ſocios aſcribant. Ridiculum certè mentiēdi genus ea ipſa comminiſci, quibus naturæ, ſenectutis & valetudinis incommoda penitus repugnant: quorúmque veritas tot rerum & euentorum periculis perſpici cognoſcique poteſt. Placet igitur Philippus ille rex Macedonum apud Lucianum, qui Alexandro filio pro ſummo flagitio ponit, quòd is rerum geſtarum magnitudine elatus diuinos honores ſibi decerni & haberi paſſus eſſet: cum tamen antea in bello vulnere accepto lacrymarum vim minimè tenere potuiſſet. quæ res à Dei præſtantia aliena eſt. Ciuitas quidem Sybaritharum, cùm rebus ſecundis vteretur, quid Reip. euenturum eſſet oraculum ſciſcitatum venit: cui reſponſum eſt, ciuitatem omnino labefactatū iri, cum is honos quem diis immortalibus maiores tribuerant, ad homines transferretur. Qua enim re animum Dei à nobis magis alienari poſſe arbitramur, quàm illius maieſtatem tam apud nos obliuione ſopitā iacere, vt humanam imbecillitatē ad præſtantiſsimum illud numen deducamus? Neque verò Diagoram Melium, Theodorum Cyrenaicum, & eius generis homines, ſi modo ſunt alij,

qui

qui Deum omnino eſſe negauerunt, exiſtimem ciuitatibus ſuis capitaliores vnquam fuiſſe, quàm eos à quibus excellens illud & perfectum quod Deum vocant, moribus noſtris exprimitur. Qui enim, quod cum ſumma illa æternitate perpetuò ſociatum eſt, ſermonibus ſuis ad alios conatur traducere, quid aliud quæſo putetur effeciſſe, quàm vt eam mirationem, qua Deum ſuſpicimus, nobis de manibus excutiat, & pietatẽ, quam erga Deum optimũ maximum in cuiuſque noſtrum animis vel ipſa natura peperit, penitus euellat?

In Amphionem.

Pax.



Muſicus Amphion citharam dum pectine pulſat,
Septifores Thebas condidit ad numerum:
Præſtitit hoc concors modulatæ gratia chordæ,
Mœnibus vt populum cingeret ille ferum.
Sic diuina ſtatum concordia continet vrbis,
Et ligat vnanimi barbara corda fide.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

AMPHIONEM Mercurij filium cantu & fidibus tam præſtantem fuiſſe fabulæ retulerunt, vt ſumma illa numerorum ſuauitate ſaxa raperet, eáque ad muros vrbis Thebanæ conſtruendos in locum vnum modorum flexionibus deduceret. Quam rem ideo à poëtis effictam poſsimus ſuſpicari, quòd Amphion omni eloquētiæ & prudentiæ laude cumulatus, barbaros homines & ferarum more in ſyluis degentes mœnibus ſepſerit, & ad ſocietatem vitæ reuocarit. Sed non erit meo iudicio à propoſito fabulæ alienum, ſi nouam illam Thebanæ vrbis ſtructuram ex variis æquabiliter citharæ concentibus effectam, ad ciuilem cōcordiam referamus. Vt enim ciuitates iam conſtructæ diutius in ſplendore & maieſtate eſſe non poſſunt, niſi in vnum conſpirantibus ciuium animis reſpublica temperetur: ita neque vrbes condi, niſi eorum qui ad ædificium conuenerunt, eadem ſit ratio & voluntas. Neque verò Ageſilaus aliis propugnaculis & muris firmandam eſſe ciuitatē exiſtimauit, quàm ciuium corporibus: qui ſi ſe ſummo ſtudio & conſenſu ad alicuius ſapientis voluntatem ductumque applicauerint, erit opinor factu difficile, firmiſsimis illis concordiæ præſidiis firmatam rempublicam euertere. Iam verò ne externa meditemur, cedo quibus artibus Chriſtianorum opes in Aſia conciderunt? quæ res Græcorum florentiſsimum imperium funditus deleuit? quæ vis Rhodum inſulam, oræ maritimæ oculum effodit? quæ res Othomanos Chriſtianorum

ſpoliis & triumphis tantopere decorauit? inteſtinæ certè Chriſtianorum inter ſeſe ſimultates. Neque enim vnquam Barbari illi Chriſtianos bello laceſſendos eſſe iudicauerunt, quàm de illorũ domeſticis odiis certiores facti eſſent: neque prius Mahumetes Magnus de oppugnanda Conſtantinopoli conſilium cepit, quàm Europam ſuis proſtratam armis iacere perſpexiſſet. Et patrum noſtrorum memoria, Gallorum imperium quod Caroli Magni & cæterorum regum armis florentiſſimum ad illam ætatem permanarat, popularibus principum ſtudiis penè deletum eſt. Ex quo ſatis efficitur, ſæpe ciuitatibus pernicioſum fuiſſe parem ſummorum ciuium principatum: quò enim quiſque animi magnitudine maximè præſtat, eò certe gloriæ auidior eſt: quam qui appetit, vult omnium princeps eſſe vel potius ſolus: ex quo turbulentiſsimæ in multis populis diſſenſiones extiterunt: neque enim cæteri cõſiliorum & dominationis in republica ſocij æquo animo ferre poſſunt, ab vno diripi patrimonium totius dominatus.

In Orpheum.

Vis eloquentię quam Euripides reginam, Ennius flexanimam appellauit.



En vt Treicius numeris & carmine vates
Permouet aurata barbara ſaxa cheli:
Vtq; arbuſta tenet cantu, platanóſque ſequẽtes,
Et ciet inſolitis peruia monſtra ſonis.
Circa homines tantùm retinet facundia nomen,
In ſua vt inuitos verba diſertus agat.
Condidit hic hominum cœtus, & mœnia primus
Artifici poſuit non violata, manu.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

IN omnibus iis quæ non tantùm in rerum gubernaculis, ſed in ciuitatibus condendis plurimum valuerunt, princeps ſemper meo iudicio eloquentia fuit. Vt enim, cùm à Romulo paſtores & aduenas ad ædificandam vrbem cõgregatos legimus, id eloquentia (cui cum ſapientia ęterna eſt ſocietas) perfectum eſſe ſuſpicamur: ita illa retinendæ in repu. Romana pacis & quietis author ſemper fuit. Quo in loco præclarum eſt quod de Menenio Agrippa dici ſolet, cuius oratione inuidioſa illa plebis à patribus ſeceſsio reuocata eſt. Sulpitius quoque Gallus exercitum Romanum de lunæ defectione trepidantem & animo fractum dicendo excitauit, tantumq; eius eloquentiæ omniũ teſtimonio tributum eſt, vt potius vnius orationis tractu, quàm vi & armis victoria parta eſſe videretur. Idem quoque Pericli apud Athenienſes ferunt contigiſſe: cuius oratio animos ſuorum ob ſolis obſcurationem deſperatione metuque fractos, recreauit. Quid verò eſt magnificẽtius, quàm rem eam quæ ſit dictione explicanda, illuſtrare dicendo poſſe, & eorum qui audiũt animos quò velis impellere, vnde autem velis deducere? Quid magis admirabile, quàm in frequenti hominum corona, vt eo munere quod omnibus à natura commune eſt ſolus cum dignitate perfungi poſſe videaris? Quid verò pietatis & religionis magis proprium, quàm nefarios perditoſque ciues orationis flumine ad rectam officij normam traducere? Hoc genere qui valent, quocũque orationẽ ſuam appu-

appulerint,facilè efficiunt quod volũt, modo perfringunt,modo opiniones nouas inſerunt, modo peruellũt inſitas. Taliũ virorũ ornatum & vim dicendi admiratæ gentes, plurimum ſemper eloquẽtiæ tribuerunt. Itaque & ætate noſtra multi in id ſtudium diligentius incubuerũt, quod illis maximo emolumento & honori fuit: nonnulliq́ue ſunt inuenti, qui quanquam penitus in iure ciuili & maiorum inſtitutis rudes eſſent, tamen quia aut ſoli,aut cum paucis ad hanc ciuilem ſcientiã verba illa ſelecta,dicendiq́ue ornatum,& quaſi veſtitum attulerunt,ſoli prope iuriſconſulti ſunt habiti:& quaſi in poſſeſsionem ſuã veniſſent, veteres illos iuris magiſtros,ſcholis & bibliothecis excluſerunt.In quibus magnopere laudandum eſt, res, quæ primùm ab eloquentibus ſunt traditæ, oratoria facultate tractare: eſt tamen infantiæ propè ſimile in verborum collocatione ſolùm occupari, ſciẽtiam autem ipſam intactam,&nulla acceſsione abs ſe cumulatam præterire. Quorum fortaſſe labor, eò minus in multis probabitur, quòd qui diſcere ius volent,nec illorum libros legẽt, quòd procul ab arte & præceptis abſint,neque ea attingant, quæ in forenſibus cõtrouerſiis explicandis poſita ſunt:qui autem latinè ſcire expetent, & orationis flore & copia magnopere capientur,nec ad illorum ſcripta ſe conferẽt,quòd vberius &cumulatius ex libris Ciceronis & aliorum, qui plurimũ eloquentia valuerunt, deſyderium ſuum ſint expleturi.

In tempora & mores.

Mulier imperator, & mulier miles.



Tota licet fatuis ſubſit reſpublica vuluis,
Et miſera elumbes experiatur anus:
Sit ſatis excelſo facinus placuiſſe Platoni,
Forte parum eſt nobis diſplicuiſſe deis.

ALIVD.

Creditur infelix ſtultis reſpublica vulnis,
Fœmineóque amens vtitur imperio:
Bella gerit mulier, pacis quoque fœdera iurat,
Atque magiſtratus datque mouétque foro
Hæc quondam magno non ſunt inuiſa Platoni,
Si mulier ſecum maſcula corda gerat.

PROBLEMA.

Publica ſi domini regerent moderamina cunni,
Fœmineúſque daret ciuica iura pudor:
Dic, an tutorem & Velleiæ legis honores
Publica res cauſis poſſit habere ſuis?
Forte: hinc eſt quòd eam violata in iura reponunt
Prætores, & ius illa minoris habet.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

FOEMINAS publicis rerum gubernaculis & imperiis omnium ferè gentium mores & edicta remouerunt: quòd in eis neque animi magnitudo, qua potiſsimum foris nititur ciuitatis ſalus neque conſilium, quod in vrbanarum rerum temperatione maximam vim habet, ſatis præſidij & adiumenti ad conſtituendam rempublicam afferre poſſe videretur. Quid enim eo genere aut ad rẽ militarẽ ineptius, aut ad reprimendos populariũ motus magis imbecillum? quid ad conſeruandum publicæ dignitatis patrimonium minus accommodatum & inſtructum? quid porrò in ferendis decretis magis varium & multiplex? Nam & videmus eas, quæ ſe veterum memoria ad res gerendas applicauerunt, aut turpiter ciuitates ſuas laceraſſe, aut eum ſplendorem quem à maioribus acceperant, minime ſuſtinere potuiſſe. Quamuis enim Semiramis laudetur, & ſit nomen eius multis ſcriptis decoratum, citeturque omnium Orientis ciuitatum præſtantiſsima, & præclariſsime teſtis memoriæ Babylon, quam illa muro & foſſa cinxit: non video tamen in quo tantopere videatur eſſe perhibenda, quæ florentiſsimum regnum ſtupris ſuis & ſordibus funeſtauit. Iam qui reipublicæ moderationi præſunt, hoc primùm tenere debent, ne commodis ſuis & vtilitatibus inſeruiant. At in mulierum animis auaritia tantam vim habet, vt quaſi ad patrimonij amplificationẽ à natura creatæ ſolùm ſint, ſine lucro nullã vitam eſſe exiſtiment, & plerunque in nuptiarum condi

tione

ti one quærenda habeant antiquius, pecuniæ quæ viro, quam viro qui pecunia indigeat deſponſari. Quia tamen me ad eas mulieres quæ aliquando maximis virtutibus & præſtantiſsimis in patriam ſuam benefactis claruerunt, genus quæſtionis vocat, videar præter officium facere, ſi debitum earum virtuti teſtimonium non reddam. Nã & aliquot legimus, quæ in ſummis periculis, ciuitatibus ſuis magnopere profuerunt. In his apud Hebræos principes Delbora & Iudith nominantut. quæ in rebus deſperatis & afflictis, patriæ ſuæ trãquillitatem & ſalutem pepererunt. Iam & illis ferè temporibus Tomiris Scytharum regina Cyrum potentiſsimum Perſarum regem incredibili animi elatione fudit & cæcidit. Et apud Romanos Chlœlia virgo nouo ſtratagematis genere vniuerſum fœminarum genus illuſtrauit, præclarumq́ue toti mulierum poſteritati imitandæ virtutis ſuæ ſtimulum iniecit. Ad harum egregias dotes & propè diuinam naturæ vim ſi qua ex noſtris mulieribus ſeſe adiunxerit, illi opinor conceſſu omnium ad ſummam rerum gerẽdarum authoritatem aditus erit, licebitq́ue ei conſiliorum in republica ſociam, ſaluis forſitan legibus numerari. Nam & Plato maximus & dicendi, & intelligendi magiſter, non omnino fœminarum principatum è ciuitate ſua ſuſtulit: ſi tamen in earum animis virilis ſplẽdor eluceat. Quia tamen plerunque euenit, vt mulieres vel ab ipſa natura effœminatos & muliebres animos gerant, non ſine ratione maiores mulieribus

viam ad honores & magiſtratus præcluſerũt: quòd ad illam rerum bene gerendarum gloriam, nihil inſtrumenti vel à natura, vel à domeſtica ſua incitatione habere videantur. Non eſt verò conſentaneum vt quæ & priuatim & publicè à rerum adminiſtratione ſunt excluſæ, eæ foris & domi magiſtratus inſtituant: vt nulli perdiu bono ad honores ordinatim in republica petendos, niſi illarum arbitratu, gratia, ſuffragio & renuntiatione, aditus poſſit patere.

Homo homini Deus.

Ex Plutarcho.



Dum gemit impoſito bos pondere, dúmq; camelū
In partem accepti muneris ire rogat,
Denegat ingratus ſocias in pondera vires,
Et veteris fœdus negligit hoſpitij.
Verùm vbi tot miſerum iuga cōpreſſere iuuēcū,
Cum boue & illius ferre iubetur onus.
Si potes obſequium repetenti confer amico,
Et meritis hominem demeare tuis.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

„ SICVT deorum & hominum cauſa creatum
„ eſſe mundum philoſophorum ſemper conſen-
„ ſus fuit: ita & hominem hominis cauſa. Vt enim ea quæ viciſsitudine anniuerſaria terra marique procreantur, hominum vtilitatibus inſeruiunt: & tāta eſt in nos naturæ benignitas, vt etiam ex iis quæ ad nocendum facta ſunt, aliquis fructus capi poſſit: ſic par rerum fruendarum commoditas & gratia quam à Deo immortali accepimus, homini ab homine referēda eſt. Nam æqualium ſtudiis & negotiis deeſſe cum opus erit, tam certè contra naturam eſt, quàm contra Euangelicas cautiones: ad quarum præſcriptum qui ſe applicauerit, non efficiet, vt aut in referendis beneficiis fidem à ſe ſuā, aut collocandis, liberalitatem requiri patiatur. Quia autem in externis rebus ex vulgi ſententia, potiſsimum fortuna dominatur, iis qui temporibus valent animaduertendum erit, ne cuius euerſam afflictamque fortunam aſpernentur: ſed eos opibus ſuis tueri debebūt, à quibus fortuna vtrinque commutata ſe magnopere cuperent in eodem genere ſuſtentari. Nam ſecundis illorum rebus ad inopiam redactis, eueniet vt quod in hominum euentis propè conſuetum eſt, illis in pœna & flagitio deputetur.

In

In ſimulachrum τῆς διαβολῆς. *Ex Appelle.*

Contra eos qui antequam bona relati inter reos ex commiſſo in fiſcum deferantur, ea petunt à principe.



Preßit Appellæum vindex calumnia nomen,
Aſt eadem afflicti proditur arte rei.
Sector in inſontes oculis ſignate cruentis,
Iam ne indemnati prædia poſce rei.

ALIVD.

Aſpice vt immanis toruo calumnia vultu,
Euomit accenſa fulmina dira face:
Vtq́; tenet puerum paſſis furibunda capillis,
Teſtantem magni numina ſumma Iouis.
Anteit & toruo miſerandus liuor ocello,
Quem toto fuſus corpore langor habet.
Vtq; comes ſtructis ſequitur Fallacia technis,
Et multo infamis ſanguine Proditio.
Iámque Midæ auriculis alter ſpectatus & auro,
Porrigit huic grati ſigna ſupercilij,
Multa ſuper multis quærens, dũ mutua ſpõdet
Munera delati, triſtia penſa rei.
Sed latet à tergo lacera μετάνοια lacerna,
Multa gemens vitæ fata nefanda ſuæ:
Et veri petit amplexus atq; oſcula, nec ſe
Illius indignam iudicat eſſe manu.
Quot ſuperi falſo calumnia nomine preſſit,
Quótque nigris (miſerùm) cõtudit illa fabis
Quot bene nummatos triſtem cõiecit in vrnã,
Qui fiſco tacitas præparat inſidias?
Quiq; ſub incertis metuendæ ſortibus vrnæ,
Poſtulat inſontis gemmea culta rei.

NARRATIO PHILOSOPHICA.

EX eadem illa malorum omnium parente cupiditate & altera profecta eſt, quæ Calumnia nominatur. Hanc quædam peſtes hominum aliena laude fortunaque dolentium ſemper in regendis ciuitatibus quaſi ducem & magiſtram ſtatuerunt: quòd opinor ſine ea diutius ſtare ſe poſſe non exiſtimarẽt. Quia enim ſi vetera recordamur, nulla vnquam tã felix aut tam bene morata ciuitas fuit,

quæ auaritia vacare potuerit: ita & ſingulis ætatibus extiterunt ij, qui nulla alia cauſa ſibi rempublicam attingendam eſſe iudicarent, quàm vt bonorum ciuium ſi fieri poſſet dominatum opprimerent & delerent. Qui enim aliquem in republica principatum animo ſibi fingunt, qui non modo ſoli dominari volunt, ſed propemodum ſoli & eſſe & viuere: qui è re & dignitate ſua eſſe non putant, aliquos in ciuitate degere, qui opibus antecellant, qui aliorum patrimonia exhauriunt & expilant, habent certè & impunitatis & virtutis loco cum iis de capite dimicare, qui fortunis ſuis ſpoliari ſe æquo animo ferre non poſſunt. In quo valde dolendum eſt tantum vim & tumultum in rerum gubernaculis valere, vt iuſtitiæ præcepta deleantur. Sed ex omnibus malis nullum eſt capitalius quàm eſſe aliquos, qui eam iuris conſtituti æquabilitatem quæ in bonis beneficio retinendis omnino poſita eſt, ad bonorum perniciem conferre velint: vt quos priuata vi & domeſticis inſidiis ſummouere nequeunt, eos iudicum ſententiis & decretis opprimant. Sed quemadmodum ignaui fuci, cum in otio viuant, neque mel conficiant, ipſi tamen, vt inquit ille,

Μελισσάων κάματον τρύχουσιν ἀεργοὶ ἔσθοντες: ”

ita nõnulli ſunt qui cũ omnẽ vitæ fructũ in remiſſione & lenitate ponãt, neq; quicquã homini melius aut optabilius eſſe putẽt, quàm iis ipſis oblectamẽtis animũ explere, in quibus vulgò vita beata poſita eſt, id tamẽ agũt vt eorum qui perpetuò in cõtẽtione ſunt, curſum & laborẽ interpellẽt. Habet

verò ratione vt quos in capitis diſcrimẽ adduxeris, eorũ bona tibi ex reſcripto quaſi iure vindices: & quos reos vel falsò vel ſubiectis teſtib⁹ annotãdos curaueris, eorũ hæreditatẽ ex proſcriptione cernas aut capias. Iã apud Romanos principalibus reſcriptis cauebatur, ne ea bona, quæ ex quouis cõmiſſo in fiſcũ delata eſſent, priuati à principe impetrarẽt, pœna iis qui cõtra feciſſent à lege cõſtituta. Sed tamẽ quia tãtũ de priſca ſeueritate virtuteq; diſceſſum eſt, vt etiã reorũ bona qui nondũ ſunt iudicati & peracti, auarorũ hominũ cupiditate cõcedãtur, nõ eſt mirũ ſi multi boni viri nefariorũ dolo & laqueis irretiti teneãtur. Qui enim ex ſentẽtiis iudicũ & reorũ cõdẽnationibus lucrũ facturi ſunt, quia illis in reorũ periculo & iactura cõmiſsi quæſtus poſitus eſt, in eo ferè cauſa cõſtãte occupari ſolẽt, vt quos iudicatos facere volũt, & teſtibus redẽptis & tabulis cõfictis obruãt. Ita fit vt vno calũniæ cõmẽto & iudicãtiũ religio circũuẽta, & reorũ innocẽtia afflicta iaceat & oppreſſa. Quod fortaſſe malũ pridẽ bonorũ virorum interceſsione fuiſſet antiquatũ, ſi cõtra vim auaritię pręclariſsimis inſtitutis potuiſſet eſſe locus. Sed quẽadmodum ſummus ille pater ſapiẽtię Plato, eã ſibi nõ attingẽdę reipublicæ cauſam eſſe dicit, quòd homines ſuos quos dicẽdo perſuaderi poſſe diffidebat, cogi fas eſſe nõ arbitraretur: ita neq; optimi & fortiſsimi viri cõtra res tã perditas & exulceratas omnino ſibi cõtẽdẽdũ eſſe putant, neq; in propinquo diſcrimine de republica referendum: quòd opinor res tã proſtrata & euerſa nulla ratione aut cõſilio attolli queat.

Cye

Cycnus.

Honor alit artes.

Non canit aſſueta Cycnus vocalis in vnda,
Ni Zephyri ſpiret mollior aura ſibi.
Claſsica propoſito ſapientia creſcit honore
Speratóque alitur docta Minerua lucro.
Sic tua Mecœnas circunſtetit aura Maronem,
Et cœpit Clario gratior eſſe Deo.

In vitem.

Non erudiendos priuatim adoleſcentes.

Incrementa parit votro vicinia botri,
Inq́; vicem auxilium præſtat vterque ſibi.
Mollior obſcura iuuenis ne diſcat in vmbra,
Sed ſtudijs comitem comparet ille ſuis.

In Atlantem.

Aſtrologia.

Diſtinctum ſtellis cælum fert maximus Atlas,
Atque humeros oneri fertur habere pares:
Vnde illi cecidit tantæ prouincia ſorti?
Quis Deus hunc tantum munus obire dedit?
Qui bene Virgilias, fratrum quoque lucida ſigna
Nouit, & Arctoi ſydera clara poli:
Et cui lactis iter notum, & dimenſio cæli:
Is magnum Aetherei ſuſtinet axis onus.

In tumulum Aemylij Ferretti.

Qui dignos tumuli perſoluere quærit honores
Extinctus docti manibus Aemilij:
Bis ſenas ſculpto deſcribat in ære tabellas,
Et ponat Latiæ ciuica iura togæ.
Addat pontificum poſitos ex ordine faſtos,
Chaldæis olim prodita ſcripta notis.
Adiungat pictæ cælata emblemata linguæ,
Verbáque quæ rapidi fluminis inſtar eunt.
Addat & Aonias placata fronte ſorores,
Et quæ larga ſuis munera dant Charites.
Iungat gramineæ certamina cruda palæſtræ,
Et ſtatuat verſo ſpicula torta iugo.
Hæc igitur (miſerùm) triſti clauduntur in vrna,
Ius, & ferrea vox, αἰμύλιός τε λόγος.

In ſtatuam Timothei Athæni.

Cum in omnibus rebus, tum maxime in re militari plurimùm Fortuna poteſt.

Timothëe hos hoſtes tibi ſuſpendere Coloſſos,
Hæc tibi ſunt forti conciliata manu:
Téque vnum ex multis fortuna ſacrauit alumnum,
Illa quieſcenti dum tibi ſigna refert,
Cogit & hoſtiles ignota in retia turmas.
Atque audax poſitis decipit inſidiis.

Liberum arbitrium.

Ex Homero.

Dic mihi Mæonius quorſum duo dolia vates
Dixerit in magni limine fixa Iouis?

An

An quod ſpectatæ nobis virtutis imago,
Et vitij ſpecies ponitur ante oculos?
Ergo ex alterutra qui naſcitur hauriat olla:
Omnibus ex æquo ſe dat vterque cadus.

Intus vino, & extus oleo.

Maximus archetypo quæ concinit ore Machaon,
Quótque Melampodius dat monumenta liber:
Quótque ſoporatis ſerpens Epidaurius herbis
Aſtruit, id totum cernitur in tabula.
Ima frequens modico præcordia perlue vino,
Doctus abundantem vincere pituitam:
Et firma externos ſub pollinctore meatus,
Hoc eſt vel medicis certius antidotis.

Inſtatuam Boni Euentus.
Ex Ephranore.

Quæ ſtatua excelſo longè ſpectata Soloſſo?
Et quorſum artifices in ſua dona manus?
Quare gramineis bellè illuſtratur ariſtis,
Et cur lethæum dextra papauer habet?
Ecquid lenæo fœcundus crater honore
Aleuæ extremis prominet articulis?
Hic bonus euentus Romanis notus in aris,
Cuius te poterit ſumma beare manus.

Mirabile de equa.

In mulieres nimium ſibi ex forma placentes.

Si ſemel in placida formam conſpexerit vnda
Mitis equa, horrendam vertitur in rabiem.
Sícque puella ſuæ nimium ſibi conſcia formæ,
In veneris citius dulcia furta ruit.

In litē

In literam Pythagoræ.

Y

Monſtrat iter duplex, totidem diſtincta lituris,
Quam cernis Samij litera docta ſenis.
Huius & alterius lateris ſe ianua pandit,
Et facilem ingreſſum callis vterque facit.
Quiſquis es in curſu vitæ qui lampada poſcis,
Elige, ſunt animo libera cuncta tuo.
Deſine contortam fatis aſcribere culpam,
Sed refer in tabulas acta nephanda tuas.

Aes Dodonæum.

In rabulas fori.

Me Dodonæi miſerum ſonus enecat æris,
Nec ſinit aſſueto membra ſopore frui.

De vipera. Ex heiroglyphicis Aegyptiorum.

In impudicas mulieres.

Quæ ſtruis inſidias miſero famoſa marito,
Proijce crudeli Norica tela manu:
Viperea quondam te finxit imagine Memphis,
Qua nihil in terris fœdius eſſe poteſt.

Bos ſuper linguam.

In proclamatores fori.

Qui longa in leuibus texit primordia cauſis,
Offenditque noua garrulitate patres:
Indicta linguam diſcat compeſcere multa,
Et poſthac labijs ponere vincla ſuis.

In lapidem Tirreum.

Concordia fratrum.

Tirrei quamuis moles denſiſſima ſaxi,
Mirum, ni cæruleis æquora tranat aquis:

Quam

Quam ſi forte ſecas in fruſta minutula, ſenſim
Labitur, æquoreo neſcia ſtare ſolo.
Coniunctos retinet quoties concordia fratres,
Quis poterit tantæ lædere iura domus?

In molles.

Hinc properate, caput digito qui ſcalpitis vno,
Molles atque pigros nulla trophæa manent.

In Diogenem.

Nititur in populum Cynicus, veſtigia figens
Altius, vt ſtudijs plebis obeſſe queat.

In Trochum.

Lis litem generat.

Semet init Trochus, & tandem quoque concipit ex ſe,
Alteriúſque opera non eget ad venerem.
Sic ex lite vna ſenſim lis altera ſurgit.
Hæc venit à noſtris noxia Pragmaticis.

In elatos.

Aſpice comprenſi ſudantia terga Milonis,
Vt captas lachrymans explicet ille manus.
Sic fortes elata ſui fiducia fallit,
Et ſæpe in præceps corda ſuperba trahit.

Fere idem in πανȣ́ργȣς.

Auribus ipſe lupum teneo veterator & audax,
Sed vah, ſuſceptum me malè perdet onus.

In ritum veteris ſacrificij.

Silentium & pax in matrimonio.

Qui rem diuinam faciunt tibi pronuba Iuno,
Incendúntque aris thura Sabæa tuis:
Fel cæſæ iaciunt altaria ad ipſa bidentis:
Sic priuata ſuo victima felle manet.

Sic

Hæc lex connubij eſt, irarum ponere fluctus
In ſancto coniux, debet vterque thoro.

In hyenam.

Ab adulatoribus fugiendum.

Poſtquam ſæua hominis didicit cognomina hyena,
Vt aoret appellat nomine quemque ſuo:
Et blando humanas imitatur carmine voces,
Vt cadat in naſſam præda vocata ſuam.
Falſus adulator, ſeruans in corpore virus,
Quos blandè appellat, clam facit ille reos

Turtur.

In præproperas nuptias ſecundas.

Ecce gemit triſtes amiſsi coniugis aras
Turtur, & alterius negligit ille thorum.
Quid properas iterum geniali accumbere lecto,
Dúmque vtero geſtas vota ſecunda petis?
Hoc eſt, crede mihi, cineres violare ſepultos,
Tam cito ſe thalamis conciliare nouis.

Ad vetus Aſtrologorum in Aegypto tributum.

In noſtrates medicos Prognoſticorũ menſularios.

Cum medici paſsim referant Prognoſtica Galli,
Séque velint Pharijs vatibus eſſe pares:
Cur non fatidicis indicta ſolaria menſis,
Atque βλακεννόμιον, munera iuſta, luunt?

In noſtrates mulieres.

Auri ſacra fames.

Quæ ſacras varijs implet ſuffitibus aras,
Et ſolitas fundit nocte dieque preces:

Commu-

Commutátque frequens rectæ ieiunia cœnæ,
Et corpus miſeris conficit illa modis:
Hæc nunc ad noctem media ſedet anxia menſa,
Et numerat ſolidos, vile numiſma ſuos.
Gaudet & eiuſdem numeros adducere ſummæ,
Vt viſo toties expleat ære ſitim.
Quàm vis magna auri eſt, vt quos nec curſus honorum
Detinet attonitos, comprimat æris amor.

Inſignia eruditorum.
Ad Ioannem fratrem.

Siue voles gracili verſus componere ſocco,
Siue Sophoclæis reddere ſcripta notis:
Siue etiam cauſis ſolers verſaris agundis,
Téque tenet Pylij Suademedulla ſenis.
Tot tibi ſunt veneres, vt iuſtè credere quiuis
Poſsit apes labijs mellificaſſe tuis.
Ergo mihi Argiua ſolus ſpectabere parma:
Dignus & in noſtris aureus eſſe focis.

In Naphtam. Ex Plinio.
Laus benefactorum comes.

Inſequitur Naphtam longè quàm ſenſerit, ignis,
Et necis & vitæ fœdus vterque ferit.
Sic & virtuti comitem ſe gloria præbet,
Et præclara ſolet laus benefacta ſequi.

Grauitas peccati.

Paruula dum rapidis agittatur cymba procellis,
Nec iactu trepidi ponitur ira maris:
Omnes præſenti monacho peccata fatentur,
Placet vt iratum mens bene munda Iouem.
Verũ Amphitrite paſsim luctantibus Euris,
Non iubet æquoreis fluctibus eſſe modum.

Confeſ-

Confeſſor monachus vectorum crimina portans,
Plus alijs naui creditur eſſe grauis.
Ergo illum attoniti vectores in mare mergunt,
Tum ratis in tuto cernitur eſſe vado.
Quàm ſit magna Deo peccati ſarcina noſtri,
Scripturæ referunt ſat monumenta ſacræ.

EXCVDEBAT
MATHIAS BONHOMME
LVGDVNI.

INDEX EPIGRAMMATΩN QVÆ PEGMATE CONTINENTVR.

IN ſimulachrum Iuſtitiæ. Ex Chryſippo.
In iuſtitiam, ex Nigidio. In ſordidè iudicantes.
Senatus Heliogabali. In iudices γυναικοκρατουμένους & vxoris imperio viuentes.
Ad Cupreſſum. In aulicos & admiſsionales. pag. 4
Ad ſacrificia Phaſelitum. In eos qui ſibi diuites ſunt. 9
Ad ſtatuam Iouis & Themidos. Iuſta à Deo roganda. 12
In tumulum Chironis. Optimum ad felicitatem quàm ociſsimè aboleri. 15
In magiſtratus iuuenes. Vix temere ante pilos venit ſapientia. 20
Ad ſtatuā Dianæ. In ſordidos noſtrorū mores. 24
In Catonem. Omnium rerū ſatietas, præterquam diſciplinæ. 30
In ſtatuam Memnonis in Æthiopia. Contra aduocatos. 33

In ſtatuam Iouis.Vindicta diuina. 37
Ad ficum.In eos qui promittere, quàm facerę maluerunt. 40
Ad araneam,vulgatum ex Diogene.In corruptos iudices. 43
Sybaritha in plateis.In leuiculos huiustẽporis.47
Libertas cuius proprium eſt,Sic viuere vt velis. 51
In ſymbolum Pythagoræ.In ſcaphio ne edito. 55
Ad ſtatuam Caſſandræ. In conſuetudinem fori.58
Ad ſtatuam Palicorum.In periuria fori. 61
In ſtatuam Iouis, ex Homero. Reges ad curam Dei pertinere. 65
Honor debitus.In diſciplinam temporum. 69
In normam Lesbiam.Bonus iudex. 71
Ad fontem Dodonæ.In ſibi præſidentes, 75
In Rhododaphnem. Scriptura ſacra gladius anceps. 79
In Lamachum ducem.Seueritas in bello. 83
Antronius aſinus. Animi vires corporis viribus præſtare. 86
In libram Critolai.Nihil virtute melius,nihil præſtantius, 89
In Herculem adhuc iuuenem.Iuuentus virtuti initianda. 92
Ad Salamandram.In milites. 95
In equum generoſum.Nequid vltra vires. 98
Ad ſtatuam Bacchi.In πολυσάρκους iudices, pretio poſitos. 102
In rabulas & operarios lingua celeri. Parcè & ad clepſydram loquendum. 106
In ſimulachrum deæ Agenioræ.Silentium. 109
Dori

Dorica muſa. In Iudices Δωροφάγυς, quibus plus placent libelli ferentatij quam ſupplices. 112
In friuolarium emptorem, ex Diogene. Homines oratio probat non veſtis. 116
In amicitiam ſimulatam, ex Diogene. 119
Exemplum leuitatis. In leguleios qui doctores iuris contemnunt. 122
In Caſtorem & Pollucem. Amicitia fratrum. 126
Cor ne edito Ex ſymbolis Pythagoræ. In noſtros, quibus Chriſtianos homines curis huius ſæculi angi debere perſuaſum eſt. 129
In ſtatuam Palladis. Præclariſsimum ſi aut reges philoſophentur, aut philoſophi imperent. 132
Antigenidæ ad diſcipulum. Non pendendum à iudicio imperitæ multitudinis. 135
Leo. Contra immoderatè agentes in rebus ſecundis. 138
In Satyrum. Contra ſedentarios & cerdones, qui paulùm vltra primas literas promoti, ſuo ſenſu in literis ſacris verſari volunt. 140
Vulgatum de hirudine. In pragmaticos æruſcatores. 146
Exemplum ſtultitiæ. Cum pertinacibus non agendum. 149
Mendici pera. In auaros. 151
In morem Elephantorum. Non perdendum amicum ob bonum dictum. 154
Appetitus ſubſit rationi, vt equus feſſori. Ex Platone. 157
In Aſpendium Cithariſtem. Contra amicos noſtrates. 160

In permutationem Diomedis & Glauci. Pax auro redempta. 162
In mortem Craſsi. Mors vna beat & ditat. 165
A mortuo tributũ. Moderatio in vectigalibus. 168
Contra veteres, nullam fortunam eſſe. Ex Auguſtino. 171
In Grillum. Voluptatem immaniſsimus quiſque ſequitur lubens. 176
Ferrum. In miſeriam humanæ ſortis. 178
In Vulcanum. Sæpiſsimè mundiores, ruſticis & cocis eſſe ἀναφροδιτοτέρους, hoc eſt vti Venere minus propitia. 183
In Platonem. Honor debitus viro docto. 187
In Corycium. Nihil eſt, quod labore non aſſequamur. 191
Dipſas. In παρθενοπίπας & ſectatores meretricum. 194
In tabulas Hipparchi. πάντα ἰδὼν Διὸς ὀφθαλμὸς καὶ πάντα νοήσας. 197
Aſpis. Amicitia poſt aras. 200
In helluones librorum. Aliquando feriandum. 203
In ἀστόμους poëtarum prurientium. Ex Polycleto. 206
In perfunctoriè iudicantes.
Μήδε δίκην δικάσῃς πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς. 209
Vetus nuptiarum ritus. In licẽtiam virginum. 212
Ad Trapezitam. In Aulicos. 215
In nodum Gordium. Virtuti fata plerunque obſtant. 219

In Ana

In Anaxarchum. Dolor non eſt malum. 222
Noctua Cùm Turcis bellandum. 225
In Steſichorum. De mulieribus, neque bene, neq; malè loquendum eſſe. 229
In certamen equi & tauri. Libertatem vendit qui beneficium accipit. 232
In ſtatuam deæ Viriplacæ. Concordiam in matrimonio colendam. 241
In herbam moly, ex Homero. Magnæ res ſine magnis periculis non fiunt. 245
Veritas in puteum demerſa. Ex Democrito. 247
In reſupinos. Ex Africano. 252
In immortalitatem litium. Ex Hieroglyphicis Ægyptiorum. 255
In morem Lacedæmoniorum. Contra mulierum licentiam. 259
Ad ſtatuam Arimaſpi. In ſordidè & per gratiam iudicantes. 263
Vulgatum de opilione. Moderatio in ſubditos. 267
Appij infamia. In conſtuprata iudicia. 271
Ad imaginem Neurorum. Contra agentes in rebus. 274
In Heſiodum. Dij laboribus omnia vendunt. 278
Simulachrum trium Gratiarũ, Aglaiæ, Euphroſines & Thaliæ. In amicitiam hodiernam, hoc eſt, vſque ad pecuniam excluſiuè. 282
Contrarium priori. Ερμώνιος χάρις. 286
Ad Tenediam ſecurim. Tribunal boni iudicis. 289

In veterem morem. Contra Parentes qui filios ſin iudicio in monaſteria coniiciunt. 29
In Liſymachum. In eos qui diuitiarum dulcedin deliniti ad Eccleſiæ gubernacula accedũt. 29
Exemplum ſapientis & ſtulti. Lóginquitas tempo ris adfert omnia. 302
In virgam Palladis. Scientiam ditare. 305
In oraculum Appollinis Sybarithis redditũ. Deus dignitatis & gloriæ ſuæ retinens. 308
In amphionem. Pax. 312
In Orpheum. Vis eloquentiæ quam Euripides reginam, Ennius flexanimam appellauit. 315
In tempora & mores. Mulier imperator, & mulier miles. 318
Homo homini Deus. 322
In ſimulachrum τῆς διαβολῆς. Ex Appelle. Contra eos qui antequam bona relati inter reos ex cómiſſo in fiſcum deferantur, ea petunt à principe. 325
Cycnus. Honor alit artes. 329
In vitem. Non erudiendos priuatim adoleſcentes. ibidem
In Atlantem. Aſtrologia. ibid.
In tumulum Æmylij Ferreti. 330
In ſtatuam Timothei Athenienſis. Cùm in omnibus rebus, tum maximè in re miltari plurimum fortuna poteſt. ibi.
Liberum arbitrium, ex Homero. ibid.
Intus vino & extus oleo. 331
In ſtatuam Boni Euentus, ex Ephranore. ibid.

Mir

Mirabile de equa. In mulieres ſibi nimium ex forma placentes. ibid.
In literam Pythagoræ, Y. 332
Æs Dodonæum. In rabulas fori. ibi.
De vipera, ex Hierogliphicis Ægyptiorum. In impudicas mulieres. ibid.
Bos ſuper linguam. In proclamatores fori. ibid.
In lapidem Tirreum. Concordia fratrum. ibid.
In molles. 333
In Diogenem. ibid.
In trochum. Lis litem generat. ibidem
In elatos. ibidem
Ferè idem, in πανȣ́ργȣς. ibid.
In ritum veteris ſacrificij. Silentium & pax in matrimonio. ibid.
In Hyenam. Ab adulatoribus fugiendum. 334
Turtur. In præproperas nuptias ſecundas. ibid.
Ad vetus Aſtrologorum in Ægypto tributum. In noſtrates medicos prognoſticorum menſularios. ibid.
In noſtrates mulieres. Auri ſacra fames. ibid.
Inſignia eruditorum. Ad Ioannem fratrem. 335
In Naphtam ex Plinio. Laus benefactorum comes. 335
Grauitas peccati. ibid.

FINIS.

RARE 85-B
27459

GETTY CENTER LIBRARY